B.S. 8°
[illegible]
K. 22

BIBLIO

IO. DIETERICI WINCKLERI
S. THEOLOG. DOCT. ECCLES. HILDES.
SVPERINT. CONSIST. ASSESS.
PRIM. ET GYMN. EPHORI

HYPOMNEMATA PHILOLOGICA ET CRITICA

IN DIVERSA
SCRIPTVRAE SACRAE
TAM VETERIS QVAM NOVI
TESTAMENTI
LOCA.

ACCEDIT
MANTISSA GEMINA
SIMILIS ARGVMENTI
DISSERTATIONES
EXHIBENS.

HAMBVRGI
SVMTIBVS CHRISTIANI WILH. BRANDT.
MDCCXLV.

BIGAE THEOLOGORVM

DE

ORBE ERVDITO ECCLESIAQVE LVTHERANA IN GENERE PARITER AC SAXONICA IN SPECIE MERITISSIMORVM

VIRIS

SVMME VENERANDIS AMPLISSIMIS EXCELLENTISSIMISQVE

DOMINO

CAROLO GOTTLOB HOFMANNO

SACRARVM LITERARVM DOCTORI EARVNDEMQVE IN ACAD. WITTEB. PROF. PVBL. ORDIN. CONSIST. SACRI ASSESSORI AD D. MARIAE PAST. ET TOTIVS CIRCVLI ELECTORALIS SVPERINTENDENTI GENERALI GRAVISSIMO

VT ET

DOMINO

ROMANO TELLERO

SANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI EIVSDEMQVE IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO ET AD D. PETRI PASTORI FACVNDISSIMO

FAVTORIBVS ET AMICIS

NVLLO NON HONORIS CVLTV PROSEQVENDIS

OPVSCVLVM HOC
STVDIVM SVVM GRATVMQVE
ANIMVM
PRO FAVORE ET BENEVOLENTIA
COPIOSE SIBI IAM PER MVLTOS ANNOS PROBATA
TESTATVRVS

OFFERT

PROSPEROS CONATVVM GRAVISSIMORVM
VTRIVSQVE ACADEMIAE FLORI
ET ECCLESIAE BONO DICATORVM
SVCCESSVS
SALVTIS TVTAM INTEGRAMQVE
CONSERVATIONEM
VT ET FAVSTA QVAEVIS RELIQVA
EX ANIMO PRECATVS

IO. DIETERICVS WINCKLERVS.

Lectori Candido
S.

Sisto tandem Tibi, beneuole Lector, *hypomnemata* mea *philologica et critica in diuersa Scripturae sacrae vtriusque foederis loca*, quae quo minus in conspectum Tuum citius prodierint, varia se impedimenta obtulerunt.

Et diutius forte eorum euulgationem retardaſſet muneris, quam elapſo anno obtingere mihi voluit diuina prouidentia, mutatio, niſi ante, quam iſta mihi innoteſceret, cum viro honeſtiſſimo, qui excudendi operis in ſe ſuſcepit ſumtus, de illis prelo ſubiiciendis conueniſſem. Quantum ergo mihi pro praeſentis muneris ratione licuit, vacuas ab ordinariis eius negotiis horas dicaui reuidendis hisce meletematibus, vltimam, vti loqui amant, limam ſibi poſtulantibus.

Verſantur illa circa varia ſacri codicis loca, ex philologia ſacra aeque

aeque ac profana illuſtranda. Quo quidem negotio quam feliciter fuerim defunctus, Tuum eſto, Lector humaniſſime, iudicium. Non prorſus tamen diſplicitura Tibi fore, videntur aliquatenus ſpondere beneuola variorum virorum doctiſſimorum, circa edenda iſta tam publice * quam priuatim me monentium, iudicia ac deſideria. Nec ipſae minus polliceri ſibi amicam diiudicationem poterunt res in illis pertractatae. Cum enim diuina quaedam eloquia eorundemque

* Vid. *fortgeſetzte Sammlung von alten vnd neuen theologiſchen Sachen, anno MDCCXLI. pag.* 627. et *Däniſcher Correſpondent, anno MDCCXLIII. num. LX.*

ſenſum genuinum vel explicare vberius vel cordate vindicare ſtuduerim, ſcopum huncce ante oculos ſic habui, vt alienum a me eſſe omne id voluerim, quod vel in illorum auctoritatem diuinam iniurium, vel in aliorum interpretum labores iniquum ſalutari poſſet. Nimia tamen exegetarum nonnullorum temeritas quando detegenda atque refutanda fuit, nec ſilui timidus, nec immoderatum immodeſtumque cenſorem egi; illius probe memor, quod inquirere in aliorum ſententias cuilibet quidem liberum ſit in republica literaria, at debita aliis ipſorumque meritis ceteris haud negligenda obſeruantia humanitas-

tasque. Veterum autem recentiorumque eruditorum ſimul coniunxi et in ſubſidium vocaui curas, laudabili ab illis conatu ſacrae hermeneuticae dicatas, gratus, vbi aequitatis id leges poſtulabant, concelebrans eorum laudes. Quas poſteriores inter inprimis numerandum praeſtantiſſimum immortalis illius Hamburgenſium theologi ac philologi, cito nimis decedentis omnibusque inde bonis deſideratiſſimi, IOANNIS CHRISTOPHORI WOLFII, notum ſatis *curarum philologicarum et criticarum* opus, auro certe carius. Cuius licet viri ſummi, prius, quam ſupplementa illius dare ipſe in publicum potue-

rit, rebus mortalibus erepti, memoriam non, niſi lugens, recolat eruditus orbis: habet tamen, de quo laetetur, idem, addendi poſteriores huic operi (quod commune non praeter rationem dixeris exegetarum oraculum) curas, negotium omnium ex voto dum in ſe ſuſcepit celebratiſſimus Viri beati Frater, per propria iam in literas elegantiores graecasque praecipue et naturalem philoſophiam merita ſatis clarus, meus in Hamburgenſi quondam munere Collega coniunctiſſimus, IOANNES CHRISTIANVS WOLFIVS; cui vt ad feliciter abſoluendum opus id exoptatiſſimum, aliaque pariter luci

ci publicae exponenda Fratris ſummi κειμηλια, (epiſtolas inprimis diui LVTHERI noua ſelectiſſimarum animaduerſionum luce colluſtratas, commerciumque eius literarium, varios variae eruditionis theſauros recludens) valetudinem ſatis firmam vires-que ſufficientes clementer largiatur ſummum Numen, ex animo voueo.

Duplex, quae opuſculi huius latus claudit, mantiſſa geminas exhibet diſſertationes meas, in academiis olim publice ventilatas. Prior, *de Luca euangeliſta medico* agens, in academia Lipſienſi anno huius ſeculi XXXVI. habi-

habita a me fuit. Eam, cum inciperet deſiderari, variique hinc inde a me ipſam efflagitarent, recudi aliquot acceſſionibus auctiorem hic eo facilius paſſus ſum, quoniam cum opere ipſo eiusdem eſt argumenti. Poſterior, *de philoſophiae Platonico-Pythagoreae fraudibus ſeu placitis erroneis, a Paulo atque Petro improbatis ac vitari iuſſis*, inſcripta, et in academia vicinia Rintelienſi ſuperiori anno pro obtinendis ſummis in theologia honoribus, ſuadente id praeſentis mei muneris conditione, eruditorum diſquiſitioni publice expoſita, locum ſibi eo magis ad calcem libri vindicat, cum in illa

illa pertractatum argumentum hypomnematibus his deſtinatum ante a me iam fuerit. Appendicis vero loco illis iungere eam eo minus dubitaui, quod tum Rintelii tum aliis in locis illam pariter deſiderari perceperim, ſufficientem licet tunc excudi exemplorum numerum curauerim.

Vnum reliquum eſt, de quo prae ceteris monendus es, Lector beneuole, momentum. Quod enim ad externam attinet opellae huius faciem, quin probatura Tibi ſeſe illa ſit, dubitare me non ſinit chartae typorumque nitor, talis ſane, qualis Lectori cuilibet non poteſt non pla-

placere. Doleo autem quam maxime, obuia legenti ſe offerre tot errata typographica, quae, dum Hamburgi prela opus exercuit, abſente me omnino tolli aut vitari vix potuiſſe videntur. Solet namque libros, quibus a mendis typographicis purgandis adeſſe ipſi auctores nequeunt, manere triſte illud fatum, vt numquam ferme ſint ab illis liberi, ſenſusque ipſe haud raro reddatur iis ſiue falſus, ſiue difficilis. Et licet meis his hypomnematibus fortunae id contigerit, vt corrigendi plagulas ſub prelo ſudantes negotium in ſe ſuſceperit iuuenis quidam ornatiſſimus, Gym-

Gymnaſii Hamburgenſis ciuis nobiliſſimus, meusque olim auditor dilectiſſimus: factum tamen eſt, vt varia oculos eius effugerint, quae corrigenda vtique fuiſſent; a me proinde quoad maximam partem ſingulari indice ſub finem libri indicata. Prouti autem iuueni huic praeſtantiſſimo pro non denegato auxilio ſuo gratias decentes ago habeoque, ita a Lectoris humanitate, quod vitio nec mihi neque ipſi ſit verſurus id, certo promitto mihi certius; ſperans, fore, vt ad erratorum indicem haud grauatim is recurrat, ſicubi offendiculo ſit hinc inde ipſi vitioſa lectio futura. Vale, amice,

Le-

Lector, et praeter mea haec meletemata aliorum pariter doctorum virorum cogitata, ex manuſcriptis, quas poſſideo, ſchedis data occaſione Tecum communicata, ſerena fronte excipe. Dabam Hildeſiae, menſe Martio, anno reparatae ſalutis MDCCXLV.

I. GENES.

I.

GENES. IV. 1.

Circa nomen Caini eiusdemque derivationem nota eſt abſona IO. PETRI ERICI, Profeſſoris quondam Patauini, ſententia, qui, vti in genere, ita et in deriuando hocce nomine ineptas prorſus hypotheſes defendere non dubitauit. Edidit is Patauii anno ſuperioris ſeculi LXXXVI. in forma octuplicata, *renatum e myſterio principium philologicum*, quo vocum, ſignorum et punctorum, tum et literarum maxime ac numerorum originem, nec non nouum variarum rerum ſpecimen etymologicum, vti ipſe in titulo profitetur, propalare conatus eſt, prodromum autem hoc opus eſſe voluit alius maioris *de omnium vocabulorum Europaeorum originibus* a ſe euulgandi operis. Iudicarunt ſtatim, cum ad eorum oculos perueniret iſtud, eruditi, grammaticas quidem regulas figurasque ad vnguem tenuiſſe, ſed haud feliciter ſatis applicaſſe, et in linguarum populorumque hiſtoria verſatum parum fuiſſe auctorem. Summa libri legitur

excerpta in *actis eruditorum latinis anni MDCLXXXVI. pag.* 327. *ſeqq.* Vix vero vllum expertus eſt ſomniis ſuis fauentem ERICVS, praeter doctiſſimum alias et orientalis literaturae peritum ſatis, at ad fouenda paradoxa ferme natum Helmſtadienſem philologum, HERMANNVM VON DER HARDT, qui in *hiſtoria* ſua *regni Babylonici per Cyrum euerſi*, Helmſtadii anno MDCCXXVI. in forma octopartita plagulis paucioribus, vt ſolent eius ſchedia, euulgata, *pag.* 11. *ſeqq.* graecum pariter ſermonem pro idiomate primi hominis venditare et ex illo hebraeum deriuare voluit, pro eo vero, ac merebatur, refutatus fuit a celeberrimo academiae Halenſis theologo, CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS, tum in *diſſertatione de origine linguae hebraeae non graeca*, Halae anno MDCCXXVII. habita, tum in *commentatione apologetica, qua origo linguae hebraeae ex graeca conuellitur, et γνησιοτης pentateuchi, nominatim Geneſeos, vindicatur*, eodem anno ibidem in 8. edita. Vberior de hac controuerſia et ſcriptis, circa illam euulgatis, notitia habetur in *der fortgeſetzten Sammlung, anno MDCCXXVIII. pag.* 450. *ſeqq.* Ad ERICI circa Caini nomen quod attinet abſurdam deriuationem, illud *pag.* 107. ab *κηεανος*, quod leguminis genus eſt, deducit, rationemque addit, quoniam primitias frugum Cainus obtulerit. Quis vero non videt, nomen

nomen hoc non tunc, cum ſacrificaret, accepiſſe Cainum, ſed impoſitum illi in ipſa nativitate fuiſſe, quemadmodum noſtro loco diſertis verbis docetur ratioque denominationis aperte additur? Quae igitur eſt temeritas, vocem, cuius origo hebraea in ſcriptura ſacra traditur, ex graeca lingua deriuare longiusque repetere velle! Sed ſatis hoc ipſo, quod tuli ſupra, iudicium confirmatur. Confirmatur et aliis, quas nec raras, neque ſaniores attulit, ψευδεξμηνειαις. Eandem enim mereri eum notam, quilibet ſane ſanus profitebitur, quando v. g. *pag.* 104. Moſen dici putat απο του μοσχου, a *vitulo*, quaſi, ob tubercula, in fronte eius naſcentium vitulis cornuum inſtar prominentia, dictus ita fuerit, hincque occaſionem vitulum, abſente Moſe, erigendi Aaron captauerit; cum nomen iſtud ab eductione ex aquis manifeſte deriuent ſacrae pandectae, idque hebraeum eſſe, dudum euicerint IO. DRVSIVS *ad voces noui teſtamenti, pag.* 120. SAL. GLASSIVS in *philologia ſacra, lib. IV. tract. III. p. m.* 1295. SAM. BOCHARTVS in *phaleg, lib. I. cap. XV.* AVG. PFEIFFERVS in *dubiis vexatis, centur. I. loc. LXXXIII. pag.* 213. *ſeq.* aliique. Vt taceam, PETRVM DAN. HVETIVM ex oppoſito contendere, dictionem graecam μοσχος a Moſis nomine eſſe deſumtam, in *demonſtratione euangelica, propoſ. IV. cap. III. p. m.* 83. *b.* Neque eſt,

quod *pag.* 105. excipiat ERICVS, vnam vocem multis obnoxiam esse deductionibus. Non enim de pluralitate, sed de veritate originis radicisque quaeritur. Et quis foret, si cuilibet pro lubitu formare vocum deductiones liceret, ineptiarum finis? Quas etiam prodit ERICVS, dum ibidem Mexicani idoli *Vizli Puzli* nomen ex latino *vituli patuli* corruptum putat, quasi vero Americam etiam suae subiecerint potestati Romani, aut cum latina congruat Americanorum lingua, nec potius, vti communi consensu fatentur eruditi, ab omnibus cogniti olim orbis linguis sit iudicanda diuersissima. Neque firmo fundamento nititur truncandi ac mutandi graecas voces artificium, quod in derivandis vocabulis latinis tantopere ERICO placet; v. g. *pag.* 116. *tabes* a καταφθιω, *tabula* a καταβολη, *pag.* 122. *titulus* ab αντιτολη, *pag.* 129. *pelagus* ab απηλεγης etc. Nimis enim longe petitae sunt dicendae eiusmodi originationes, periculumque subest, ne, concessa tali voces in initio, medio et fine truncandi libertate, quodlibet ex quolibet deducatur, modo levis quaedam allusio et quarundam literarum conuenientia appareat. Multo sane prudentius agere illos, docuerunt eruditi, qui linguas Europaeas ex communi linguae Iapheticae, siue Scythicae, principio deducunt, veramque sequuntur literarum et significationis analogiam.

giam. Cui quidem ſententiae ponderis multum accedit ex ipſa Graecorum confeſſione, cumprimis PLATONIS, qui in *Cratylo*, Graecos a barbaris multa accepiſſe vocabula, fatetur, nec rationem impoſitionis in graeca quaerendam eſſe lingua ſtatuit. Quales autem hi barbari ſint, vel ex ipſis a PLATONE allegatis vocabulis liquet, quorum praecipuum πυρ eſt, quo Phryges etiam vti obſeruat; qui cum non minus, ac Germani, Iapheticae, ſiue Scythicae, fuerint originis, facile, nomen *Fyr* ſiue *Feuer* in animo Platonem habuiſſe, colligitur. Plura hanc in rem ex Graecis philoſophis teſtimonia adduxit CLEMENS Alexandrinus *lib. I. ſtromatum*, addiditque vnius e ſeptem Graeciae philoſophis, ANACHARSIDIS, effatum: ει δε τις την φονην διαβαλλει την βαρβαρον, εμοι δε, φησιν ο Αναχαρσις, πανλες Ελληνες σκυθιζουσι.

Apparet ergo ſatis ex iis, quae commemoraui, quid de nimia illa iudicandum ſit audacia ERICI, tantam linguae graecae auctoritatem tribuentis, quantam ne ipſi quidem Graeci ſapientes iſti adſcripſerunt. Et riſum temperare vix poterit, qui hariolationes illas paulo ſaltem perluſtrauerit, quae in ipſius *humanae linguae geneſi, part. I. tom. I.* qui Venetiis anno MDCXCVII. in forma quadripartita lucem adſpexit, deprehenduntur obviae. Sonos v. g. ab Adamo, Eua eorumque liberis emiſſos non aliter, ac

ſi praeſens ipſe fuiſſet omniaque oculis et auribus percepiſſet, deſcribit. Primum Adami admirabundi reliquaque animalia conuocantis ſonum facit Ω; minime, quod cum perfecta loquela creatus is fuerit ſtatimque cunctis animalibus nomina impoſuerit, animaduertens. Euam porro, ex coſta ſua formatam, odore primum percepiſſe Adamum, et cum illo apud ARISTOPHANEM carnes ſuillas olfaciente υ υ exclamaſſe, ridicule fingit. Quae foret, quaeſo, haec ſi vera eſſet ERICI narratio, accuſanda diui Moſis negligentia, omnia iſta nos celantis myſteria? At vero maiori, imo optimo, iure ERICVM negligentiae arguimus turpiſſimae, qui Adami, Euam primum conſpicientis, verba a Moſe conſignata tradere obliuioni non erubuit; ex quibus facile, non naſo, ſed oculis primum Euam percepiſſe Adamum, cognoſcere potuiſſet. De veſtitu primi hominis haud ſaniora profert, et germanicum *Veſte, Veſtung* a latino *veſtis* deducit, *eodem ſenſu, quo Graeci ιματια πολεως vocant muros et moenia, vnde* Heimat *apud Germanos adhuc hodie cuiusuis appellatur natale ſolum.* Nulla in his vocibus ſignificationis reperitur analogia. Annon melius longe eſt, ex primitiuo adiectiuo *feſt* ſeu *veſt* deducere ſubſtantiuum *Feſte* et *Feſtung*, et ab adiectiuo *heim* ſubſtantiuum *Heimath?* At pergit ERICVS et duplicem Adami prolem in medium

dium affert plorantem, quarum altera cum illo apud AESCHYLVM prae dolore exclamauerit ε ε ε, altera iunior ι ι ι, *id quod protaplaſtis anſam dederit, primam perſonam* ω, *ſecundam* υ, *tertiam* ε *vel* ι *tunc temporis pronominaliter appellandi.* Vocat quidem haec ERICVS poſtulata ſua prima, quae ad DIODORI Siculi de origine linguarum commenta illuſtranda faciant; iis autem, qui ex ſacris literis didicerunt, (quod ne ipſe quidem ERICVS diffitetur) ſtatim ab initio creationis ſermones miſcuiſſe Adamum atque Euam, mera videbuntur eſſe ſomnia. Quare merito narrans illa NIC. KOEPPEN in diſſertatione *de confuſione linguarum*, Gryphiswaldiae anno MDCCVII. ventilata, in verba haec erumpit *pag.* 3. *Ha! ha! he! ſpectatum admiſſi riſum teneatis amici. Amplectatur haec, cui difficiles placent nugae. Ego ſane non crediderim, Adamum et Euam per integrum fere annum nihil aliud, quam illud* ω *et* υ *ingeminaſſe; deinceps vero ploratu cum infantibus certaſſe, illudque* ε ε ε ε *crebro vſurpaſſe, hoc minus crediderim, quam cum iis equitaſſe in arundine longa. Cum longo tempore protoplaſtos nullum aliud verbum protuliſſe putat, homines ſociales magis mutos facit, quam piſces. Et in quam longum tempus Adamum animalium nomenclationem diſtuliſſe putat? Id vero plane tolerari nequit, quod differentiam infantilis ſoni* του

ε ε et του ι ι tanti facit, vt ad eam Pſaltem reſpexiſſe putet verbis: ex ore paruulorum et lactantium fundaſti, Deus, fortitudinem propter inimicos tuos. Pſalm. VIII. 9. Quos quaeſo inimicos infantes miſero ploratu illud ε ε et ι ι concinentes terruerunt aut propulſarunt? Quae e diuerſo illo ſono eximia ad Deum O. M. gloria redundat? Vana omnia et profana!

Piget reliqua perſequi, cum praeſertim eius circa nomen Caini adhibita ψευδεμηνειαι occaſionem mihi obiter tangendi ceteras commemoratas ſuppeditauerit. Vnicum tamen ſubiungam adhuc ex *cap. XVI.* ſpecimen, ex quo, quam infelix etymologus ERICVS ſit dicendus, colligere aperte licet. *Renatus*, inquit, *ſcilicet Chriſtianus ab Italis corrupte (vt ſit in nominibus huiusmodi) dictus eſt* RINALDO, *ab Hiſpanis* RENANDO, *a Gallis* RENARDO, *vnde Germanorum* REINHOLD *et* REINHARD, *imo corruptius adhuc* ARNOLD, ORLANDO *et* ROLAND. Quot verba hic, tot ferme vitia occurrunt. *Renati* nomen eſt latinum, quod Galli *René* efferunt. REINHOLD nomen Germanicum, ex *rein* et *hold* compoſitum, idque Itali *Rinaldo*, Hiſpani *Renando* efferunt. Nec *Reinhart* minus germanicum eſt, ex *rein* et *hart*, Gallis *Renard*. Ab his omnibus differunt reliqua tria, *Arnold*, *Orland* et *Roland*, quae germanicam pariter originem ſapiunt. Videan-

deantur de posteriori hoc commemorato Ericiano opere *acta eruditorum latina, anni MDCXCVIII. pag.* 30. *seqq.* Nonnulla etiam contra prius monent GEORGIVS PASCHIVS in *inuentis nou-antiquis, cap. II. §. XXXI.* et AVGVSTINVS GRISCHOW in *introductione in philologiam generalem, cap. III. §. XXXV. pag.* 62. *seq.* Qui vero pro eo, ac debebant, hebraeam linguam matrem et antiquissimam linguarum omnium esse pronuntiarunt, indicantur a summe venerabili Saxonum theologo VALENTINO ERNESTO LOESCHERO *lib. I. de causis linguae hebraeae, cap. II. §. VII. pag.* 13. qui et ipse tum hoc, tum sequentibus capitibus de isto argumento pro more suo, id est, erudite agit, et pseudo-criticorum quorundam, aliis linguis antiquitatis huius laudem vindicare conantium, somnia refellit, inprimis vero *cap. XV.* vestigia prouidae diuinae circa hebraeam linguam curae vestigia tam pie quam solide exponit.

II.

1. REG. XIV. 24.

Varie interpretantur priora huius commatis verba interpretes. *Vulgata* hunc in modum vertit: *erant etiam effoeminati in terra;* quem eundem sensum *Tigurini* quo-

que illis tribuunt, vertentes: *erant etiam catamiti in terra.* PAGNINVS: *erant ſcorta maſcula in terra,* qualis nempe et diuus Paulus indigitat Rom. I. 27. Nec abludunt IVNIVS et LVTHERVS, quorum poſterior vertit: *es waren auch Hurer im Lande.* Reſpexiſſe quoque ad ſcorta IONATHAN videtur reddens: נפקת ברא. Expendit hunc locum iam dudum beatus WOLFGANGVS FRANZIVS in tractatu *de interpretatione ſcripturarum ſacrarum, orac. L.* et collatis aliis ſcripturae effatis, in quibus ſcortorum maſculorum ſecundum plerorumque translationem mentio fit, illa inter recenſita complura alia idola, a Iudaeis tunc temporis culta, collocari oſtendit, ideoque certi generis idola, at turpiſſima, vbi mentula ſuſpenſa honorata fuerit, intelligenda eſſe putat. Qualia quidem impura ſacra gentilibus fuiſſe recepta, abunde ſatis auctorum veterum teſtimonia probant. Originem Aegyptiis eruditi tribuunt, et confirmari illud etiam ex DIODORO *Siculo* poteſt, qui Iſidem Aegyptiorum reginam auctorem tam horrendi cultus nominat. Poſtquam enim *lib. I. bibliothecae hiſtoricae, cap. XXI. XXII. XXIII.* prolixius de Oſiride, Aegyptiorum olim rege, egerat, eundem *cap. XXI.* narrat iuſte regnantem in Aegypto a Typhone fratre, homine violento atque impio, trucidatum eſſe, qui, in XXVI. fruſta dilaniato interfecti

cor-

corpore, ſingulis facinoris ſociis vnum tribuerit, quo omnes ita piaculo necteret ſibique in regni defenſione et cuſtodia firmos haberet adiutores, Iſidem vero, ſororem et coniugem Oſiridis, auxiliante filio Horo, vindictam caedis perſecutam, ſupplicium de Typhone ipſiusque complicibus ſumſiſſe et Aegypti regnum obtinuiſſe. Hoc feliciter conſecuto, porro DIODORVS refert, quomodo mariti ſui fruſta collegerit ſingulaque diuerſis ſacerdotibus tumulanda ac diuino honore afficienda Iſis tradiderit, *cap. XXII.* his verbis, ex verſione RHODOMANNI: *membra igitur Oſiridis reperta hunc in modum ſepultura cohoneſtata dicunt, virilia autem a Typhone in fluuium abiecta eſſe, quia ſociorum nemo haec recipere vellet, quae tamen ab Iſide nihilominus diuino honore ſunt affecta. Nam in templis effigiem horum adornatam coli praecepit, et initiatam ceremoniis ſacrificiisque deo* (idolo) *iſti peragendis, vt honoratiſſima eſſet plurimaque veneratione digna, effecit. Idcirco et Graeci, poſtquam ſacrorum Bacchicorum ritus et ſolemnitates ab Aegyptiis accepere, membrum id in myſteriis, initiationibus et ſacrificiis Dei huius Phalli nomine honorant.* Haec ibi DIODORVS SICVLVS, quae repetit IO. LVDOVICVS VIVES ad *lib. II.* AVGVSTINI *de ciuitate Dei, cap. XIV.* idque initium cultus Priapi, quem Phallum et Ithyphallum Graeci vocauerint, fuiſſe

fuiſſe dicit. Conf. IO. BAPTISTA CASALIVS *de profanis et ſacris veteribus ritibus, part. II. cap. XII. ſeq.* Hicce autem cultus, Priapo deſtinatus, num inter Iudaeos obtinuerit, video alios dubitare. Affirmatiuam cum FRANZIO ſententiam tuetur GEORG. MYLIVS in *explicatione auguſtanae confeſſionis, pag.* 213. *b.* eundemque cultum 2 Paral. XV. 16. pariter indicari putat, in quo cum ipſo conſentiunt IO. CONR. DIETERICVS in *antiquitatibus biblicis*, ad h. l. IOANNES SELDENVS in *ſyntagmate de diis Syris, lib. I. cap. IV.* et PETRVS IURIEU dans *l'hiſtoire critique des dogm. et des cult. bon. et mauv. part. IV. chap. II. ſq. p.* 551. *ſqq.* HIERONYMVM ſequentes. Contradicunt vero alii, inter quos et IO. CHRISTIANVS BRVDER in diſſertatione *de Maacha a regia amota*, Lipſiae ſub reu. IO. CHRISTIANI HEBENSTREITII praeſidio anno MDCCXXIV. habita, §. *XVII.* licet ipſe celeber. praeſes in epiſtola iſti diſſertationi adiecta contrariam ſequi videatur ſententiam. Rectius ergo contra FRANZIVM, noſtro in loco non idola talia turpiſſima intelligenda eſſe, docuiſſe videtur b. AVGVSTVS PFEIFFERVS in *dubiis vexatis, centur. II. loc. XCIX. pag.* 438. vti et ad mentem ſupra iam commemorati SANTIS PAGNINI *ſcorta maſcula* hic CAMPEGIVS VITRINGA *lib. I. obſeruationum ſacrarum, cap. V. pag.* 47. per קדשים

קדשים intelligit. Vid. IO. SPENCERVS *de legibus Hebraeorum ritualibus, lib. II. cap. XXIII.* Apud Romanos autem pariter ac Graecos illa erant frequentiſſima; vti docemur a IAC. GODOFREDO in *notis ad tom. III. codicis Theodoſiani, pag.* 59. IOSVA ARNDIO in *miſcellaneis, pag.* 96. CLAVDIO SALMASIO in libro *de foenore Trapezitico, pag.* 140. WILH. MOMMA in *commentario in epiſt. ad Romanos, pag.* 335. IO. MICH. DILHERRO *tom. I. diſputat. acad. pag.* 240. PETRO ACRODIO in *pandectas lib. VIII. tit. II. pag.* 1069. CORNEL. ADAMI in *obſeruationibus theol. philolog. pag.* 714. CONRADO RITTERSHVSIO *ad fabulas Phaedri lib. III. fab. XX.* et GVIL. SALDENO in *otiis theologicis, lib. I. exerc. VII. pag.* 136. Primum auctorem flagitii huius deteſtandi, maſculae veneris, *Laium* quendam fuiſſe ſcriptores ſtatuunt; vid. AELIANVS *lib. XIII. var. hiſt. cap. V.* et SCHEFFERI pariter ac KVHNII ad hunc locum notas; *Orpheum* alii. vid. b. IO. ALB. FABRICII *bibliotheca graeca lib. I. pag.* 135. Nec ipſos ſapientes, v. g. Platonem atque Socratem, immunes ab hoc crimine fuiſſe, conſtat. Vid. LVDOVICVS CRESOLLIVS in *theatro veterum rhetorum, oratorum et declamatorum, lib. V. cap. VIII. pag.* 490. *ſeq.* GERH. IO. VOSSIVS *de origine et progreſſu idololatriae, lib. I. pag.* 25. Omni tamen conatu Socratem defendit IO.

CLE-

CLERICVS in *ſylvis philologicis*, *pag.* 191. DIOGENEM vero LAERTIVM *lib. VI. §. XLV.* ſi conſulamus, eum improbaſſe illud, exinde patet. Conf. AEGIDIVS MENAGIVS in *notis* ad iſtum DIOGENIS LAERTII locum *pag.* 250.

III.

MATTH. XXIV. 14.

Quae legitur hic, vox οικουμενη κατ ελλειψιν dicitur, et ſubaudiri debet nomen ſubſtantiuum γεα, vel contracte γη, non ſimpliciter et vniuerſa, ſed quatenus ab hominibus incolitur ac habitatur. Primam hanc et propriam eſſe illius ſignificationem, ipſa eiusdem origo declarat. Eſt namque participium foemininum paſſiuum verbi οικεω, *habito* vel *in domo habito*, vnde formatur οικεομενος, οικεομενη, contracte οικουμενος, οικουμενη, *habitatus*, *habitata*. Solet nonnumquam, quando poſterius, foemininum nempe, occurrit, expreſſe addi γη, e. g. apud STRABONEM *lib. I. geogr. pag.* 1. την οικουμενην γην. Opponitur autem terrae ερημω apud ARRIANVM *lib. VI. de rebus Alexandri magni*, *pag.* 378. et DIODORVM Siculum *lib. XIX. pag.* 689. vbi οικουμενη, ερημος et ανυδρος (qualia aqua prorſus deſtituta deſerta in Arabia dantur pleraque) a ſe inuicem

cem diſtinguuntur. Notandum vero, quod, quoniam ſcriptores, voce hac vtentes, diuerſis temporibus vixerunt, quibus vel plus vel minus cognita ac habitata terra aliqua fuit, ex iſtius ſeculi, quod viuendo attigerunt, loquendi more eam vſurpauerint, ideoque ex conditione iſta aeſtimanda quoque vox haec ſeu interpretanda ſit. Sic enim e. g. STRABO *loc. cit. pag.* 60. per οικουμενην quid intelligat, explicans, dicit illam eſſe, *quam habitamus et nouimus.* Similiter ARISTOTELES *lib. II. meteor. cap. VII. pag.* 780. οικουμενην, ſcribit, *vocamus, quantum nos ſcimus.* Suſpicabantur nimirum veteres, multa adhuc eſſe eademque maxima regna, a magna quidem hominum copia habitata, ipſis vero incognita, nec adire licita. Quare POLYBIVS *lib. VIII. hiſtoriarum* της οικουμενης commemorat παντα τα γνωριζομενα, et *lib. XV.* και των αλλων, ſcribit, οικουμενης γνωριζομενης. ARISTOTELES pariter *lib. VII. politicorum, cap. VII.* ſibi inuicem opponit ciuitates Athenienſium atque οικουμενην, addens: *quae* (ſcilicet οικουμενη) *habitata eſt.* POLYBIVS *lib. III. pag.* 264. ολην γην, *totam terram*, et οικουμενην κατ ημας, *quae habitata, ſecundum nos, eſt*, ſiue, *quantum nos ſcimus*, eadem ſibi ratione opponit; vti et STRABO *l. c. pag.* 7. primo loco ολην γην, *vniuerſam terram*, nominat, et deinde ſubiicit: ης μερος οικουμενη, *cuius pars eſt habitata*,

tata, alteram vero terrae partem την ἀοικητον, *non habitatam*, dicit. Conf. et ARISTOTELES *lib. II. meteor. cap. V. pag.* 775. Abſolute pro toto globo ſiue vniuerſo corpore terrae accipitur haec vox apud LVCIANVM in dialogo, qui *Alcyon* ſiue *de transformatione* inſcribitur, *tom. I. operum, pag.* 144. et ARISTOTELEM (ſi quidem ille verus auctor) in *libro de mundo, cap. III. fin.* vbi Graecos οἰκουμενην vocare vniuerſam φυσιν και θεσιν, naturam atque ſitum tam terrae, quam maris, refert.

Mirum proinde non eſt, quod variam aeque ſignificationem ſiue interpretationem vox haec admittat, in ſacris noui foederis tabulis quando legitur. Ad noſtrum quidem locum quod attinet, notat ad illum ſummus quondam, nec ſine veneratione pia vlli poſt fata etiam cogitandus, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis* ſuis *ad h. l.* de imperio Romano voluiſſe accipere οἰκουμενην vocem IOSEPHVM MEDE *pag.* 705. *operum*, latiorem vero illi ſignificationem vindicari in *veſperis Groninganis*, *pag.* 238. *ſeq.* et ab HERMANNO WITSIO in *miſcellaneis ſacris, tom. II. pag.* 405. *et* 438. Et videtur vtique ab horum parte ſtare veritas, nec vaticinium Seruatoris de praedicatione euangelii aliter explicandum eſſe, quam quod omni genti, priusquam a Romanis deſtrueretur vrbs Hiero-

Hierosolyma et Iudaeorum regnum, annuntiandum illud, et in vniuersa οικουμενη seu terrarum orbe, quatenus is incolitur et habitatur ab hominibus, εις μαρτυριον πασι τοις εθνεσι praedicandum, praedixerit Seruator. Confirmat istam explicationem locus vere parallelus Marc. XIII. 10. vbi, εις παντα εθνη praedicari oportere euangelium, eadem ratione ait. Confirmat et, sua iam aetate impletum esse hocce vaticinium asserens, diuus Paulus apostolus Rom. X. 18. Ibi enim, quando, ex auditu esse fidem, auditum vero ex diuino verbo, docuerat, obiectioni obuiam it, qua inter omnes gentes dispersi Iudaei excipere forte poterant, sibi non omnibus euangelii factam esse annunciationem, indeque fidem quoque se in Seruatorem mundi habere minus posse. Testatur proinde, in omnem terram eiusdemque fines seu terminos habitatos verbum et ipsius sonum exiisse; quod inculcat etiam alibi, e. gr. Col. I. 23. Corroborant autem idem suo quoque testimonio patres, qui apostolorum aeuo exstitere proximi. Diserte IVSTINVS martyr, in *dialogo cum Tryphone, Iudaeo, pag.* 270. ne vnum quidem dari in terrarum orbe mortalium, siue barbarorum, siue Graecorum, genus, scribit, vbi Christus cognitus non sit. Expressis verbis IRENAEVS, *lib. I. contra haereses, cap. II.* ecclesiam per vniuersum orbem vsque ad fines terrae se-

minatam ab apoſtolis eorumque diſcipulis eſſe, docet, et, fidem illam accepiſſe, addit: *cap.* etiam *III.* multas nominat remotiſſimas barbaras gentes, quae religionem Chriſtianam acceperint. * Nec diſſentiunt HIERONYMVS, *comment. ad Matth. XXIV.* vbi, haud putare ſe, ſcribit, vllam remanſiſſe gentem, quae ignoret Chriſti nomen; ac TERTVLLIANVS in *libro aduerſus Iudaeos, cap. VII.* qui ibidem omnes ferme gentes, quibus annunciatum euangelium ſit, enumerat, easdemque abditas multas ac nobis prorſus incognitas gentes et prouincias. Verba TERTVLLIANI allegant ABR. CALOVIVS in *bibliis illuſtratis, ad Pſalm. XIX. pag.* 971. *a.* FRID. BALDVINVS in *comment. ad Rom. X. quaeſt. VI.* et IACOBVS WELLERVS in *annotat. ad eundem locum.* Diſplicet quidem veritas haec, patrum allegatorum aliorumque teſtimoniis clariſſimis probata, et reformatae eccleſiae doctoribus quamplurimis, vniuerſalem Dei gratiam negantibus, et romanae eccleſiae addictis quibusdam, qui, aſſertum hoc cum experientia hodierna conciliari minus poſſe, autumant. conf. BENED. PEIRERII *diſputationes in epiſto-*

* Notandum hic eſt, verba IRENAEI graeca, prouti apud EPIPHANIVM *haereſ. XXXI.* quae eſt Valentinianorum, *num. XXX. ſeq. pag. 201. ſeq.* editionis PETAVII leguntur, aliter paulo ſonare. At ſenſus tamen idem eſt.

epiſtolam ad Romanos, diſp. IV. Cenſent nimirum iſti, Americam pariter, ac plurima alia regna orientalia incognita adhuc fuiſſe apoſtolorum tempore, hincque ſynecdochice exponere Pauli verba iubent. Sed opus non eſt, hanc vt figuram in ſubſidium vocemus. Legantur, quae hanc in rem contra SPANHEMIVM, acerrimum doctrinae de vniuerſali gratia aduerſarium, pro more ſuo, id eſt, ſolidiſſime in medium affert b. IO. CONR. DANNHAVERVS, in *hodomoria ſpiritus Caluiniani, part. II. phantaſm. IX. pag.* 1842. Cui addi meretur celeberrimus academiae Tubingenſis theologus, CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS, in *vindiciis quorundam noui teſtamenti dictorum de gratiae diuinae vniuerſalitate,* Tubingae, anno MDCCXXVI. euulgatis, *pag.* 35. *ſqq.* Eleganter etiam de eo: num toti orbi annunciatum iam dum euangelium ſit? differit ERASMVS FRANCISCI, in *der letzten Rechenſchaft aller Menſchen, meditat. XXXIII. pag.* 626. *ſeqq.* Cognitam vero tunc temporis Americam fuiſſe, aperte ſatis demonſtrarunt viri doctiſſimi. Quare, ad iſtius terrae incolas pariter, apoſtolorum tempore, penetraſſe euangelium ſiue eius praedicationem, eo fortius haud pauci euicerunt. Praeter ceteros tam docte, quam perſpicue, id probauit IO. RVMETSCHIVS in ſchediaſmate hiſtorico-theologico *de con-*

iecturis vltimi temporis, Francofurti ad Moenum, anno ſuperioris ſeculi LXXXI. in forma octuplicata edito, *ſect. II.* * Interim ſolent

* Doctiſſimus ille ac geographiae peritiſſimus SAMVEL BOCHARTVS, *part. II. geographiae* ſuae *ſacrae*, quam *Canaan* inſcripſit, *lib. I. cap. XXXVIII.* etſi ipſe veterum hac de re teſtimonia clariſſima adducat, ipſe tamen ſubdubitat, num iam veteribus cognita haec regio fuerit. Rationem dubitandi reddit hanc, quod vſu ac notitia pyxidis nauticae deſtituti veteres fuerint, cuius ſine ope tantam vaſtiſſimi maris intercapedinem, quae eſt Europam inter ac Americam, itemque inter Aſiam et Americam, nec non inter hanc et Africam, ſuperare eos vix potuiſſe, credit. Verum enimuero ſolida ſatis ac ſufficiens iſta non videtur eſſe negandi aſſerti noſtri ratio. Ab ignoratione namque modi, illuc quo tranſierint veteres, ad negationem rei, vel facti, non foret tuta atque decens concluſio. Et eandem ſane ob cauſam, quam BOCHARTVS adducit, dubitandum nobis foret: num homines in America fuerint? modus quia ignoratur, quo eo homines tranſierint, num per continentem terram, quae reperta hactenus nulla eſt, an vero per mare illud vaſtiſſimum. Vndenam ergo immanis iſta hominum copia, ab Hiſpanis in America repertorum? A defectu autem pyxidis nauticae petitum argumentum non, niſi quatenus ordinariae et tanta facilitate, ac noſtris ſit temporibus, ſuſceptae nauigationes ſolae (quod quis affirmabit?) dicendae eſſent peragi poſſe, valebit. Nonne enim, licet ſingulari, ordinario tamen modo a Deo potuerunt ad praedicandum euangelium eo mitti apoſtoli? Et teſtatur clare de Carthaginienſibus, loco a BOCHARTO allegato, ARISTOTELES, iſtos tempeſtatis vi veniſſe illuc. Quem pariter ille citat, DIODORVS Siculus *lib. V. hiſtor.* conſuli etiam

ſolent diſtinguere interpretes inter ipſam apoſtolorum praedicationem, et inter praedica-

iam meretur. Videtur tamen ſtudio forte BOCHARTVS omiſiſſe alia adhuc clariora in ſcriptoribus veteribus obuia teſtimonia, quae ignorare quidem ille vir eruditiſſimus non potuit. Videantur proinde AELIANVS *lib. III. var. hiſt. cap. XVIII.* PLATO in dialogo, qui *Timaeus* audit; et in altero, qui *Critia* inſcribitur: SENECA, poëta, in tragoedia, *Medea* nuncupata; SENECA, rhetor, in *ſuaſoria I. pag. 1.* E recentioribus ſcriptoribus euolui poterunt GEO. HORNIVS *de originibus Americanis;* IO. DE LERI, eccleſiae reformatae doctor ſeculi XVI. in *hiſtoria nauigationis* ſuae *in Braſiliam* ſuſceptae, anno MDXCIV. euulgata; MATTH. MERIANVS in *den Weſt-Indianiſchen Geſchichten;* LVDOVICVS GVTZMANNVS *de rebus, a ſocietate Ieſu in India geſtis;* IO. GOROPIVS BECANVS, in *originibus Antwerpianis, lib III.* ADRIANVS TVRNEBVS *lib. XX. aduerſariorum, cap. XI.* IACOBVS PAMELIVS, in *notis ad Tertulliani apologeticum;* ERASMVS SCHMIDIVS, in oratione *de America*, quae PINDARO cum ipſius commentario, Wittebergae anno MDCXVI. in 4. edito, ſubiuncta legitur; PHIL. NICOLAI *tom. II. operum, pag. 25. ſeqq.* et ſupra laudatus FRANCISCI in *dem hiſtoriſchen Rauchfaß, part. III. pag. 978. ſeqq.* Clare Americam deſcribit ipſe HOMERVS, in *odyſſ. α. v. 22. ſeqq.* quem Homeri locum, cum aliorum diuerſis explicationibus, expoſuit STRABO, in *geographia* ſua, *lib. I.* Pyxidem autem nauticam notam et vſitatam veteribus fuiſſe, at notitiam vſumque eius mox periiſſe, probare conati ſunt NIC. FVLLERVS in *miſcellaneis ſacris, lib IV. cap. XIX.* et HENR. SALMVTH in *commentario in Guidonis Pancirolli de rebus deperditis ac recens inuentis tractatum, ad tit. XI.* Quod ſi vero concedatur

dicationis eorum famam. *Vbi,* inquit AMBROSIVS, *praedicantis hominis defuit praesentia,*

datur etiam, notam haud fuiſſe veteribus pyxidem nauticam, inde tamen, ordinarie Americam naui petere veteres haud potuiſſe, nondum ſequitur. Multa namque exſtant illuſtrium nauigationum exempla apud veteres, absque pyxide nautica quae peractae ſunt. Quid de Salomonis regis in Ophir directis nauigationibus dicendum? Per quam Ophir quando Peruuiam nonnulli intelligunt, hoc forte commode ita non aſſeritur, quam ſi Indiam illa indigitatam eſſe dicamus orientalem, et Ceilan inſulam in ſpecie, olim Tabrobane dictam, ad quam per mare rubrum iter fecerunt. Confirmat poſteriorem ſententiam et ipſius itineris, quod ita ſuſceptum longiſſimum ſane atque difficillimum fuit, ratio, et rerum, quas accepit inde Salomon, deſcriptio. Quare pedibus in hanc ſententiam eunt IO. BAPTISTA CASALIVS, in doctiſſimo ſuo *de profanis et ſacris veteribus ritibus* opere, *part. I. cap. VI. pag. 17.* et CAMPEGIVS VITRINGA, in *geographia ſacra*, quae editioni *obſeruationum* eius *ſacrarum* Ienenſi anno MDCCXXIII. in 4. primum ex manuſcripto eruta, fuit adiecta, *pag. 794.* Nauigauit porro ex Hiſpania circa totam Africam ad Arabicum vsque ſinum Hanno, Carthaginienſium Dux, referente PLINIO in *hiſtoria naturali, lib. V. cap. I.* Quod licet, eandem ob rationem, quoniam nauticam haud pyxidem habuerit, incredibile videtur eſſe BOCHARTO *loc. cit.*, negare tamen contra diſertum PLINII teſtimonium non licebit, niſi omnem velimus dubiam reddere fidem hiſtoricam. conf. et HENRICVS SALMVTH *loc. cit. ad tit. I. pag. 27.* Contrarium, at ſimile tamen, iter fecit, ab Arabico ſinu, ſiue mari rubro, incipiens, Eudoxus, totam qui Africam circumnauigauit, et in Hiſpaniam venit, teſte STRABONE in *Geographia, lib. II.* Itinera ergo eius-

ſentia, ſonus tamen famaque peruenit, ſicut peruenerat factarum in Aegypto virtutum opinio. Quam diſtinctionem approbant etiam ABR. CALOVIVS *loc. cit.* aliique.

Quaeritur proinde, num locum habeat in Matthaei noſtri euangeliſtae effato, cap. XXIV. 13. ſynecdochica vocis οικουμενη interpretatio? quam calculo ſuo probare varios commemoraui. Et negari quidem nequit, apud profanos aeque, ac ſacros ſcriptores accipi interdum iſtam ita; prouti hoc pro ſubſtrata materia eſt diiudicandum. Sic Demoſthenes, cum merita ſua in patriam, Athenienſium rempublicam, praedicaret, labores ſuos legationesque, quas pro republica obierit, enumerans; DINARCHVS in *oratione contra illum* habita, *pag.* 94. verum eſſe, ait, quod απασιν οικουμενην peragrauerit Demoſthenes, vt multa mala, infortunia ac clades patriae ſuae conciliaret. Manifeſta

eiusmodi difficiliora ſi absque pyxide nautica (ſi quidem, illam ipſis fuiſſe incognitam, concederemus) potuerunt veteres tranſigere, nonne idem de nauigatione in Americam ſuſcepta affirmari poterit aut debebit? Vnde, ſi fatendum quod res eſt, non videntur mihi HERM. WITSII argumenta, in *miſcellaneis ſacris, tom. II. exerc. XIV.* allata, fortiora illis eſſe, quae antecedenti *exerc. XIII.* propoſuerat; nec, quae contra affirmantes praedicationem euangelii, ab apoſtolis Americanis factam, vrgere voluit vir iſte doctus, omni exceptione maiora, ſi vel ea conſiderare quis velit, quae, licet breuioribus, hac de re diſſeruimus.

hic deprehenditur in voce οικουμενη hyperbole. Nam per vniuerſum terrarum orbem profectus minus erat Demoſthenes, ſed magnam ſaltem illius partem peragrauerat. Eodem ferme modo ARRIANVS loquitur *lib. II. διατριβων in Epictetum, cap. XVI. pag.* 182. quando, την οικουμενην, et *cap. XXIV. pag.* 327. ολην την οικουμενην peragraſſe Herculem, ſcribit, vti et *cap. I. pag.* 239. homines ad Apollinis oraculum Delphicum conuenire εκ της οικουμενης, ſcribit, quod tamen multae gentes, Indi, Germani etc. ignorabant prorſus. Tribuitur ita quoque apud AELIANVM *lib. III. var. hiſt. cap. XXXIX.* Alexandro magno αρχη της οικουμενης, *orbis totius*, id eſt, maximae orbis partis, *imperium.* Et Hannibalem APPIANVS *de bellis Hiſpanicis, pag.* 433. ſtatuiſſe narrat, quod, devictis Romanis, τη οικουμενη imperaturi ſint Carthaginienſes. Quorſum et PLATONIS pertinet loquendi mos, quando *epiſt. IV. ad Dionem*, Syracuſanorum regem, omnes homines εκ απασης οικουμενης reſpicere, ſcribit, quam hyperbolen ipſe ſtatim explicat, addendo: *vt ita dixerim.* Prae ceteris notabilis LVCIANI locus eſt, in *dialogo de Macrobiis, tom. II. operum, pag.* 782. *et* 784. vbi de vnius ſaltem Numae Pompilii imperio loquitur, et tertiae perſonae pronomen εαυτου addit, eum regnaſſe την οικουμενην εαυτου, ſcribens. Sed non

non videtur in euangeliſtae Matthaei, circa quem iam occupamur, loco admittenda eſſe ſynecdochica talis vocis οικουμενη explicatio, prouti docetur in *veſperis Groninganis, pag.* 238. *ſq.* Conferatur et ANTONIVS BYNAEVS *de Chriſto crucifixo, pag.* 168. *ſeq.* verſionis Germanicae.

IV.

LVC. II. 1.

Quam proxime antecedentibus exemplis probaui apud ſcriptores occurrere, ſynecdochica vocis οικουμενη acceptio hoc loco praeferenda illi eſt, quam Matth. XXIV. 14. ſtatuendam eſſe monui, latiori eius vocabuli explicationi; vti et in ſequentibus Scripturae ſacrae locis, de quibus poſtea dicendum erit. Hunc enim diui Lucae locum qui paulo ſaltem accuratius introſpexerit, ſtatim de imperio Romano ſermonem eſſe, deprehendet, vti iſtum loquendi morem explicarunt ſcriptores bene multi, a b. WOLFIO in *curis, ad h. l.* allegati. Mirandum proinde non ſine ratione, exſtitiſſe, qui hic vocem οικουμενην in latiori ſuo ſenſu accipiendam eſſe voluerint, imperatores Romanos vniuerſo terrarum orbi, ſi non de facto, de iure tamen, imperaſſe, autumantes. Statuerunt id e. gr. HENRICVS de Suſa, ſiue

Seguſia, Cardinalis *Oſtienſis*, ſeculo XIII. celebris, et BARTOLVS, magni nominis ſequenti XIV. ſeculo ICtus, adeo, vt ſecus ſentientes haereſeos notare hic, ille vero mortaliter peccare, iudicauerit. Fundamentum ſententiae ſuae ex corpore Iuris Iuſtinianei deſumſerunt, quoniam in illo orbis dominus ſaepius vocatur Romanus imperator. Ad quam quod attinet appellationem, obſeruandum, legi iſtam etiam apud alios ex ſcriptoribus antiquis. Notum eſt dictum TITI PETRONII ARBITRI:

Orbem iam totum victor Romanus habebat.

Et DIONYSIVS Halicarnaſſeus *lib. I. antiquitatum Romanarum, cap. III. Romanorum*, inquit, *ciuitas imperat per cunctas terrae plagas, quae quidem inacceſſae non ſunt, ſed habitantur ab hominibus.* Quam DIONYSII Halicarnaſſei leuitatem caſtigaſſe ſe, quidem ſcribit ISAACVS CASAVBONVS in *notis ad Polybium, pag.* 91. vbinam vero factum hoc ab eo ſit, nondum mihi, licet multum in conquirendo iſto loco laboranti, innotuit. Eundem faſtum prodit etiam DIODORVS Siculus in *bibliotheca hiſtorica, lib. I. pag.* 3. ſcribens, *excellentiam vrbis Romae ſe extendere potentia vsque ad terminos habitati orbis.* Conf. pluribus de hoc veterum ſcriptorum circa totius orbis dominium, imperatori ſuo tribuendum, iactantia HERM. CONRINGIVS, in ſingulari *de imperatore Romano-*

mano-Germanico Helmſtadii anno MDCXLI. euulgata diſſertatione, §. *V. ſeq.* IO. LIMNAEVS in *iure publico imperii Romano-Germanici, lib. II. cap. VIII.* aliique ſcriptores in beati noſtri WOLFII *curis, ad h. l.* allegati. Interim numquam maius fuiſſe latiusque ſeſe extendiſſe imperium Romanum, quam primo poſt Seruatorem natum ſeculo, ex hiſtoria conſtat. conf. IVSTVS LIPSIVS *lib. I. de vrbis Romanae admirandis, ſiue de magnitudine Romana, cap. III.* ONVPHRIVS PANVINIVS in *commentariis reipublicae Romanae, lib. III.* et IO. MICH. DILHERRVS in *diſſertationibus academicis, tom. I. pag.* 435. qui varia veterum loca in medium producit. Eandem proinde ob rationem, quod totius ſe orbis dominos iactauerint Romani, putat FRIDERICVS SPANHEMIVS in *dubiis* ſuis *euangelicis, part. II. dub. III.* voluiſſe Spiritum ſanctum in hoc Lucae loco, de quo iam agimus, quando *πασαν την οικουμενην* commemorat, carpere iſtam Romanorum ſuperbiam; imo coniicit, Auguſtum forte imperatorem in literis illis, quibus de cenſu illo certiores ſubditos ſuos fecerat, vſum eiusmodi verbis eſſe, quibus in totum terrarum orbem dominium ſibi vindicauerit. Securior vero eſt IO. MALDONATI coniectura, in *commentar. in quatuor euangeliſtas, ad h. l.* haec Auguſto in dictis literis verba tribuentis: *Iubemus, vt vniuerſus deſcribatur*

tur orbis. conf. MICH. WALTHERI *harmonia euangelica, ad h. l.* Per hyperbolen vel ſynecdochen, Graecis etiam alias vſitatam, alii illa explicant interpretes; e. gr. THEOD. BEZA in *annotationibus in nouum teſtamentum, ad h. l.* IO. CALVINVS in *harmonia euangeliſtarum, pag.* 31. IO. PISCATOR in *comment. in omnes nou. teſtam. libros, ad h. l.* SAL. GLASSIVS in *philologia ſacra, lib. V. tract. I. cap. XVI. p. m.* 1923. *ſeq.* Alii ellipſin* hic vocis *Romanus* ſtatuunt, vt ſenſus ſit: *totus orbis,* ſcilicet *Romanus;* v. g. HVGO GROTIVS in *annotat. in nou. teſt. ad h. l.* et FRID. SPANHEMIVS *loc. cit.* Addatur *verſio Syriaca,* de qua vid. LVDOVICI DE DIEV *animaduerſiones in totum nouum teſtamentum, ad h. l.* vbi interpretationes iſtas, quas dederunt IMMANVEL TREMELLIVS et GVIDO FABRICIVS BODERIANVS, corrigit. Eundem in modum etiam in verſione ſua *Arabs* interpres. Nec incommoda haec explicatio (niſi, quod mauult b. WOLFIVS, *loc. cit. pag.* 576. cum adductis variis ſcriptoribus, per *την οικουμενην Iudaea* tantum, non orbis Romanus totus, vti volunt alii a WOLFIO ibidem citati, intelligi debeat) cum occurrat apud alios pariter ſcriptores eiusmodi limitatio, ab imperatoribus Romanis

* Poſſet hic quoque ellipſis ita ſtatui, vt vox *εαυτου* omiſſa fuiſſe dicatur; prouti, eum in modum locutum LVCIANVM eſſe, docui.

nis ipſis adhibita. Sic nimirum Aurelianus in data ad Coenobiam, Palmyrenorum reginam, epiſtola, apud FLAVIVM VOPISCVM obuia *pag.* 862. editionis ſcriptorum hiſtoriae Auguſtae minorum Lugdunenſis anni MDCLXI. vocat ſe *imperatorem Romani orbis.* Sic ipſe quoque Iuſtinianus imperator in *cod. tit. de raptu virginum,* ſcribit: *per diuerſas noſtri orbis regiones.* Occurrit et ſimilis limitatio apud APVLEIVM *lib. XI. metamorph. pag.* 465. quando ſcribit: *quaeque ſub imperio mundi noſtratis reguntur;* itemque in *floridis, pag.* 344. de Alexandro magno vbi loquitur: *edixit vniuerſo orbi ſuo.* Inde in SVIDAE *lexico, voc.* απογραφη, vbi deſcriptio huius Auguſti cenſus ex ſcriptore quodam anonymo ſuppeditatur, Auguſtus in omnem ſubditorum ſuorum terram miſiſſe dicitur cenſores. Conferatur et AVGVSTINVS *lib. V. de ciuitate Dei, cap. XXV.* Nec inane forte pro interpretatione hac peti poſſet ipſis ex ſcriptoribus graecis praeſidium, quippe quibus οικουμενη pro ea ſaepius terra accipitur, quam occuparunt ac inhabitarunt ipſi illi, qui iſta voce vſi ſunt. POLYBIVS ita *lib. IV. pag.* 425. dicit οικουμενην κατ ημας, *terram ſecundum nos* ſiue *noſtram,* id eſt, *quam nos inhabitamus;* qui tamen deinde *pag.* 426. *ſq.* την κατ ημας οικουμενην commemorat in reſpectu ad alia loca, quae habitata quidem fuerint, at longe

a terra ſua remota; imo alio adhuc ſenſu *lib. III. pag.* 264. et *pag.* 291. iſtam phraſin ita adhibet, vt ad notitiam referat, quam de terra, quod habitata ſit, habeat, hoc modo: *terra, quae, quantum ſcimus, habitata eſt.* Eo minus ergo opus eſt, vt, cum AMBROSIO *comment. in euangelium ſecundum Lucam, ad h. l.* allegorice euangeliſtae diui verba accipiamus, quaſi Chriſti Seruatoris regnum adumbratum per *την οικουμενην* fuerit, quoniam vniuerſale ſit totius terrarum orbis regnum. Nec video, cur cum FLACIO, in *gloſſa ſuper hunc locum,* hebraiſmum hic ſtatuere opus ſit; quae ipſius ſententia nec illis ſe probauit, qui Iudaeam a Luca intelligi cenſent.

V.

IEREM. XVII. 9.

Notauit iam IO. SAVBERTVS in *operibus* ſuis *poſthumis, pag.* 91. haud accurate ſatis a diuo noſtro LVTHERO in verſione germanica (omiſſa prorſus notabili particula מכל) redditum fuiſſe *το* עקב per *trotzig*; rectiusque *ſupplantatitium, fraudulentum* iſtud verti. Monent et alii commentatores, ſimile hic deprehendi, deſumtum vel ab inaequali via, in qua labi quis facile poteſt, vel ab homine, calcaneo ſuppoſito peſſum

ſum alterum dante. Conf. praeter ceteros b. THOMAS ITTIGIVS, in *der ſchriftmaeſſigen Erklaerung des Propheten Ieremiae, Part. II. pag.* 843. Tendunt eodem, quae circa vocem hancce pariter animaduertit ſummus quondam ſui temporis philologus IOBVS LVDOLFVS, literis ad doctiſſimum tunc academiae Gieſſenſis theologum, IO. HENR. MAIVM, patrem, die XIX. Maii anno MDCCII. datis, huic ſcribens, ſe tum ex collato loco Ieſa. XL. 4. tum ex Aethiopica Arabicaque *cliui* ſignificatione probe conſiderata, prae Lutheri verſione, hic non adaequata, praeferendam eſſe putare, quae huc probe quadrat, ſignificationem *cliui*, vt ſenſus euadat: *cor hominis cliuoſum*, id eſt, inaequale, non plenum, ſed doloſum *eſt*. Reſpondit ad iſtas LVDOLFI literas eiusdem anni menſisque die XXIV. laudatus MAIVS hunc in modum, quae vt ex manuſcripto cum beneuolo lectore communicem, ingratum ipſi minus fore confido: *Ad locum Ierem. XVII. 9. quod attinet, dicam bona Tua cum pace, Vir illuſtris, meam ſententiam. Veram genuinamque verbi* עקב *ſignificationem haud obſcure patere exiſtimo ex Geneſ. XXVII.* 36. *et Ierem. IX.* 4. *vbi eſt* ſupplantare, defraudare; *quam verbi notionem in Aethiopica quoque lingua receptam eſſe conſtat. Quod cum in Supplemento ad Lexicon Cocceii, pag.* 94. *obſeruaſſem ante tempus aliquod,*

quod, nunc magis me confirmat in ea opinione, quod in noua editione lexici Tui Aethiopici, pag. 449. *legi, Geneſ. III.* 15. *hoc ipſum verbum de inſidioſa ſerpentis obſeruatione adhiberi. Nec aliter apud Chaldaeum et Samaritanum occurrit. Hinc aptiſſime omnino, vt mihi videtur,* עקב *reddetur* fraudulentum, inſidioſum, ſiue doloſum *eſt cor ſupra modum.* Cliuoſum *ſuperbiam tantum exprimit et eleuationem cordis; at* fraudulentum *latius patet, et bene quadrat ad ſequentia textus verba:* et quis cognoſcere ſatis illud poteſt? *Sic quoque Anglica translatio. Sed hoc omne Tuo, Vir illuſtris, iudicio ſubmitto.* Reſponſum LVDOLFI in ipſius ad MAIVM, Calendis Iunii eiusdem anni exaratis, literis hoc eſt: *Quod ad locum Ierem. XVII.* 9. *attinet, Tuae ſententiae facile aſſentior, nam ego ipſe* cliuoſum *oppoſitum* plano *ac* recto *ex noto Ieſaiae loco cenſui. Cor autem, quod non* planum *et* rectum *eſt, iure meritoque* doloſum, *vel* fraudulentum *cenſetur.*

VI.

ACTOR. XIII. 13.

Locutio hic obuia, *qui circa Paulum erant,* morem quendam in memoriam nobis reuocat veteribus, tam Romanis quam Graecis, receptum, ex quo variae explicari poſſunt

ſunt in noui foederis tabulis aeque, ac profanis ſcriptoribus occurrentes locutiones. Eodem namque prorſus modo LIVIVS *lib. I. cap. XLI.* eorum mentionem facit, qui circa Tarquinium fuerint. Ita vero, quando circa alterum fuiſſe quidam perhibentur, indigitantur vel amici, vel clientes, vel ſerui, vel ſtipatores. Saepius ſic ſolent locutione hac deſignari ſatellites; e. g. apud SVETONIVM in *vita Caligulae, cap. XLIII.* Maxime tamen adhibetur illa ad denotandos amicos, clientes, et illos, qui vel honoris ergo et captandae beneuolentiae cauſa, vel teſtandi amoris pietatisque ſuae gratia, viros illuſtriores comitari ſolebant. Hoc ſenſu conſiliarii et amici Antigonis commemorantur a CORNELIO NEPOTE, in *Eumene, cap. X.* Vti et PLINIVS in *panegyrico, cap. LXXXIII.* de Traiani amicis: *longe adhuc maius eſt, quod, cum ipſe ſis optimus, omnes circa te feciſti tui ſimiles.* Ortum autem illud inde traxit, quod, qui honoratiores paulo vel illuſtriores atque opulentiores erant, magna ſtipati clientum aliorumque inferioris conditionis hominum turba, prodire in publicum ſolebant. Quare de Didone VIRGILIVS *Aeneid. I.* 500. ſcribit:

Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Inceſſit, magna iuuenum ſtipante caterua.

De ſenatoribus quoque Romanis paſſim legimus, quod in comitatu ſuo aliquot habuerint millenos homines; vti de Tiberio Graccho, cum in publicum prodiret, AVLVS GELLIVS teſtatur *lib. II. noct. Attic. cap. XIII.* Similiter Marius, homo nouus, cum per res bene geſtas inclaruiſſet, eum conſulatum ambientem opifices agreſtesque omnes, quorum res et opes ac ſpes in manibus ipſius ſitae erant, frequentabant. vid. SALLVSTIVS *de bello Iugurthino, cap. LXXIII.* Quinimo deducunt hinc nonnulli vocabulum *ſcurra*, quod illos primum homines denotauit, qui ſecuti opulentiores fuerint; odioſum vero deinde euaſit, dum erant inter illos, qui facetiis ſuis oblectare, quos comitabantur, ſtudebant. vid. FESTVS. Solebant etiam, qui minores aetate erant, viros aetate prouectiores, ſiue in illuſtri conſtitutos dignitate, quos colebant, perſequi, eosdemque et in forum deducere, et domum rurſus deducere. vid. VALERIVS MAXIMVS *lib. II. dictorum factorumque memorabilium, cap. I.* Eleganter hoc et breuiter, vti ſolet, TACITVS affert *lib. III. annalium, cap. XXXIII.* quando ſcribit: *duorum egreſſus coluntur.* Diſſuadet ſcilicet ibi quidam, ne vna cum maritis, qui proconſules erant, in prouincias abirent vxores. Hic inter alias rationes addit: *duorum egreſſus coluntur*, id eſt, habet ſuam aeque comitum cateruam

teruam mulier, ac proconſul ipſe, quem egreſſurum exſpectabant multi eum comitaturi. Extremis tandem temporibus, praeter amicos hosce atque clientes, ſeruorum quoque, qui eos deducerent, multitudinem adhibebant; vt adeo incertum ſaepius ſit, num, quando comitum fit mentio, ingenui, an ſerui ſint intelligendi? licet praecipue de ingenuis illa phraſis ſit accipienda. Ita enim IVVENALIS *ſat. I. v.* 45.

Quid referam, quanta ſiccum iecur ardeat ira,
Cum populum gregibus comitum premit hic ſpoliator
Pupilli proſtantis.

Neque aliter res ſe apud Graecos habuit. Viri namque inter illos pariter ac feminae Athenis, Corinthi aliisque in ciuitatibus, vbi frugale minus obtinebat vitae genus, cum ingenti turba in publicum prodibant, imo ipſae adeo meretrices. vid. TERENTIVS in *heaut. act. III. ſcen. I. v.* 42. et in *andria act. I. ſc. I. v.* 96. Quod et ex hiſtoria Megabyzi, ſiue ſacerdotis Dianae Epheſinae, apud AELIANVM *lib. II. variarum hiſtor. cap. II.* patet. Hic namque cum in pictoris officina quadam de proſtantibus ibi picturis imperitius iudicaret, ideoque a pueris adſtantibus derideretur, pictor, ipſum, ſi tacuiſſet, ſuſpecturos illos fuiſſe, ait, ob cul-

tum ſiue veſtitum ſuum, et ob comitantem ipſum famulatum. Frequens ergo apud Graecos quoque locutio iſta: οι περι ſiue αμφι σε, ita vt, quando de Platone ſiue eius aſſeclis loquantur, dixerint: οι αμφι Πλατωνα. Sic AELIANVS *lib. II. cap. XIII.* των αμφι τον Ανυτον mentionem facit, qui Socratem accuſati fuerint. Conf. et APPIANVS *de bello ciuili, lib. III. p.* 531. HESIODVS in *Aſp. v.* 178. pluraque hac de re exempla, diligenter congeſta a beato GEORGIO RAPHELIO, in *annotationibus in nouum teſtamentum ex Polybio et Arriano, pag.* 341. ex quibus, quonam fine vel affectu diuo Paulo apoſtolo adhaeſerint hi comites, ab euangeliſta Luca commemorati, ſatis patet; probandi nimirum ipſi et honoris et amoris gratia.

VII.

IOANN. III. 13.

Phraſis: *filius hominis, qui eſt in coelo*, variis anſam dedit diſputationibus de omnipraeſentia Seruatoris circa creaturas, quoad humanam naturam etiam in ſtatu exinanitionis, a Patribus, LVTHERO, aliisque inde aſſerta. vid. THEOD. THVMMII *ſynopſis controuerſiarum, pag.* 374. *ſeqq.* Conferantur, quae de Socinianorum circa locum huncce

huncce ſtrophis, breuibus monui in notis ad beati genitoris mei *Partem III. der ueberſchwaenglichen Gnade Gottes, pag.* 41. Id ſaltem iam commemorare iuuat, mentem ſanctiſſimi Seruatoris, ſi quidem recte illa eruatur, hic non fuiſſe, vt oſtenderet, ſe in coelo inpraeſentiarum eſſe, adeoque creaturis omnibus praeſentem, ſed potius, vt perſonam ſuam deſcriberet, ſe nimirum non hominem tantum eſſe et de coelo deſcendiſſe, ſed et Deum, qui in coelo ſit, (deſcriptio namque hoc Dei eſt, Pſalm. CXV. 3.) adeoque potentem ad reſerandum aditum in coelum. Proprie proinde non ſpectare eo locus hic videtur, vt, probare diſertis verbis inde humanae ſuae naturae omnipraeſentiam voluiſſe, ſit dicendus optimus Seruator; licet per conſequentiam illa omnino inde ſequatur. Diſerte illud negat beatus IO. AFFELMANNVS *tom. I. operum, pag.* 170. et *pag.* 134. *το eſſe in coelo* ſimpliciter per *το eſſe in gloria coeleſti et maieſtate diuina* exponit, vti ob perſonalem vnionem Dominus de coelo 1. Cor. XV. 47. dicitur Seruator. Idem itaque hoc: *qui eſt in coelo*, ſignificat, ac: *qui eſt verus Deus;* quemadmodum de Deitate Chriſti haec verba etiam accipit beatus IO. CONRADVS DANHAVERVS in *hodoſophia, phaenom. VIII. pag.* 697. et 760. Non ideo ad ſecundum communicationis idiomatum genus, ſed ad primum

ſpectat iſta propoſitio, vti a DANHAVERO *citato loco, pag.* 649. eo refertur; quia vti illa propoſitio: *Chriſtus homo eſt aeternus,* b. IO. ADAMO SCHERZERO in *ſyſtemate theologiae, pag.* 200. non eſt idiomatica, ſed perſonalis, ita et haec propoſitio: *Filius hominis eſt in coelo,* loco perſonalis propoſitionis minime ſtare videtur, et idem eſt, ac: *Filius hominis eſt Deus maieſtaticus.*

VIII.

I. TIMOTH. IV. 2.

Verbum καιω, *vro,* tempora ſua, excepto imperfecto et aoriſto ſecundo, mutuatur ab antiquo ac inuſitato καυω, *uro,* quod ex hebraea radice כוה, *vſſit.* Deſcendunt ab iſto vocabula καυμα, *calor nimius, aeſtus,* et καυτηρ ac καυτηριον, vtrumque inſtrumentum notans, quo inuri ſtigmata ſolebant; quam ipſam vſtionem ſignificat etiam verbum καυτηριαζω, a diuo Paulo apoſtolo hoc noſtro loco vſurpatum. In aliam quidem ſententiam, circa deriuandam vocem latinam *cauterium,* pedibus it ISIDORVS Hiſpalenſis in *originibus* ſuis *ſiue etymologiis,* ex *caueo* et *vro* illam deriuans, quoniam caute vrere debeant medici atque chirurgi, membra per phlegmonen vel gangraenam infecta amputantes, et poſt reſectionem per cau-

cauterium eadem, quo occalleſcant et dureſcant magis, ſanguisque ſiſtatur, vrentes; ſed ignorauit graecam linguam ISIDORVS. Quare magis audiendi GERH. IO. VOSSIVS in *etymologico latinae linguae*, et MATTHIAS MARTINIVS in *lexico philologico*, a graeco illud deducentes.

Inurebantur tales notae et ſtigmata, vt paucis ſaltem pro ſcopo meo haec tangam ab aliis vberius declarata, olim ob flagitia ſeruis. Qua de re quando audimus PLATONEM *lib. IX. de legibus, pag.* 923. inuri illos propter commiſſum ſacrilegium in fronte vel manu voluit, inurendamque ipſis eſſe ſtatuit *συμφοραν*, quae vox communiter calamitatem ac infortunium notat, quemlibet itidem caſum ac euentum triſtem. Notam ergo commiſſi criminis, ſeu, quod idem eſt, caſum ſeruis flagitioſis, qui iſta ratione accidebat, inurendum illis eſſe PLATO vult, nempe nomen culpae ſuae. conf. GVIDO PANCIROLLVS in *theſauro variarum lectionum, lib. II. cap. CCXLI.* idem, quod ſcilicet nomen commiſſi criminis, nimirum prima eius litera (e. g. furi litera F) inuſta fuerit, aperte docens. Sic calumniatoribus per legem Remmiam (Memmiam alii legunt) litera K inurebatur, CICERONE teſte in *oratione pro Roſcio Amerino.* conf. et VALERIVS Maximus *lib. VI. cap. VIII.* Nec

nobis quidem ignotum hodienum id poenae genus eſt, quo fures praeſertim affici ſolent, inuſta dorſo eorum patibuli, vel alia figura. Vnde ſunt, qui apud PLAVTVM furem dici putant, *hominem trium literarum*, quoniam tres hae literae F. V. R. inuſtae illis fuerint. Cum vero in fronte olim inurerentur notae huiusmodi maleficis, Conſtantinus imperator, Magni cognomine notus, illud aboleuit, in manibus potius aut brachiis, vel alia corporis parte fieri id iubens, eo, quod ad coeleſtis pulchritudinis formam ſit formata facies, teſte PANCIROLLO *loc. cit.* Legitur haec imperatoris lex in Codice Theodoſiano, *lib. IX. tit. XL. de poenis.* Caium Caligulam, imperatorem Romanum, varios ordinis honeſti viros, ſtigmatibus valde deformatos, ad metalla fodienda damnaſſe, SVETONIVS in *vita eius, cap. XXVII.* refert. Inurebantur vero ſtigmata plerumque iis apud Romanos, qui ad metalla damnabantur, quo ab aliis ſcilicet internoſcerentur. Graecis notati ita homines dicebantur στιγματιαι, quam vocem CICERO latine retinuit *lib. II. de officiis, cap. VII.* vti et DIO Caſſius *lib. XCVII.* eiusmodi hominem στιγματικον vocat *ſtigmaticum.* Sed et *literati* dicebantur, i. e. literis inuſti, referentibus LVDOVICO COELIO RHODIGINO *lib. VIII. antiquarum lectionum, cap. XXXI.* GVIDONE PANCIROLLO *loc. cit.* FRIDERICO

RICO TAVBMANNO in *commentario in Plauti Aſinariam, pag.* 390. IVSTO LIPSIO *lib. II. electorum, cap. XV. Frontes literatas* commemorant APVLEIVS *lib. IX. de aſino aureo, p.* 222. et AVLVS GELLIVS *lib. XV. noctium Atticarum, cap. IX.* Vulgo etiam *homines inſcripti* dicebantur, vti legimus apud PLINIVM in *hiſtoria naturali, lib. XVIII. cap. III.* Quare *inſcriptiones frontis* commemorat SENECA *de ira, libro III.* Conf. idem *lib. IV. de beneficiis, cap. XXXVII.* Interdum vero apud veteres integras adeo voces inuſtas corpori fuiſſe, legimus, quemadmodum Philippus, Macedoniae rex, Alexandri magni genitor, militi cuidam erga hoſpitem ingrato, integras has voces inuri iuſſit: *hoſpes ingratus.* vid. ZONARAS *lib. III. annalium*, TAVBMANNVS item et LIPSIVS *locis allegatis.*

Quo turpius ergo habebatur, tali modo ſi quis inurebatur, eo forte mirum magis nobis videbitur, barbaris quibusdam gentibus contrarium prorſus placuiſſe, corpusque notis variis inuſtum fuiſſe nobilitatis ſignum. Narrant illud HERODOTVS *lib. V. cap. VI.* et SEXTVS Empiricus *lib. III.* nec non IACOBVS GOTHOFREDVS in *notis marginalibus ad Ciceronis lib. II. de officiis*, ac RHODIGINVS *loc. cit.* Cuius rei originem EVSTATHIVS *ad librum vltimum Odyſſeae, pag.*

1960. hanc tradit: fuiſſe vxores Thraciorum quasdam, ob commiſſa ſcelera puniendas, ſtigmatibus inuſtas, quae probri hanc ac contumeliae notam vt auerterent, totum corpus notis iſtiusmodi inuſſerint, vnde nata dein conſuetudo fuerit, vt pro eleganti aut nobili homine haberetur, cuius corpus iſtiusmodi punctis et ſtigmatibus notatum eſſet.

Non tamen poenae loco ſemper et vbique, ſed diſcriminis etiam ergo, recepta veteribus fuit eiusmodi inuſtio. Sic namque milites tirones ſtigmate inurebantur, ab aliis quo dignoſcerentur, nec aufugere vel ſubducere ſe conarentur. Inprimebatur his principis ſeu imperatoris, cuius ſub auſpicio ſtipendia faciebant, nomen, vel integrum, vel prima eius litera, vti e. g. Zeno imperator nomen ſuum aquariis inuri iuſſit. Primis temporibus vel in fronte, vel in manibus accipiebant tales notas nouitii iſti milites; at poſt latam ſupra memoratam Conſtantini Magni legem, brachia tantum vel manus inurebantur. Conf. de hac inuſtione militum tironum AETIVS, *Amydenus* cognominatus, medicus quinto ſeculo clarus, in opere ſuo, quod latina ciuitate IANVS CORNARIVS donauit, *medicina e veteribus contracta* inſcripto, *lib. VIII. cap. XII.* FLAVIVS VEGETIVS, Renatus, *de re militari*,

tari, lib. I. cap. VIII. et lib. II. cap. V. MARTINIVS in *lexico philologico*, voc. *ſtigma.* Vnde lucem lucrantur loca Scripturae Apocal. XIV. 9. XX. 4. vbi mentio eorum fit, qui non acceperint characterem beſtiae in fronte ſua, nec in manibus. Quam in rem pluribus conferri poterunt auctores, a beato IO. CHRISTOPHORO WOLFIO allegati, in *curis philologicis et criticis, ad Gal. VI.* 17. *et Apoc. XIII.* 16.

Hunc interim ad ritum, paucis a me explicatum, ſunt, qui referunt Paulinam phraſin, noſtro hoc prioris ad Timotheum datae epiſtolae loco obuiam, et impoſtores illos, de quibus ſermo eſt apoſtolo, falſas comminiſcentes doctrinas, ac per easdem circumuenientes alios, hosque a vera fide et religione auertentes, tanquam ſeruos nequam atque fugitiuos, Chriſtum Dominum deſerentes, illiusque beneficia ſpernentes, ideo poenae loco cauterio notari dicunt in conſcientia, a qua malitiae impietatisque arguantur et ſpiritualis infamiae commonefiant. *Vulgatus* interpres num ita ſenſerit, vertens: *cauteriatam habentium conſcientiam,* neſcio, cum et haec verſio explicari de ea interpretatione queat, cuius ſtatim mentionem faciam. DESIDERIVS ERASMVS aperte iſtam ſuam fecit ſententiam, vertitque: *cauterio notatam habentium conſcientiam,*

tiam, quem ſecuti, praeter LVTHERVM diuum, etiam alii quam plures ſunt, e. g. *Vinarienſes,* SAL. GLASSIVS in *philologia ſacra, lib. V. tract. I. cap. X. p. m.* 1691. VICTORINVS STRIGELIVS in *hypomnematibus in omnes libros noui teſtamenti, tom. II. pag.* 238. HVGO item GROTIVS et HENRICVS BVLLINGERVS *ad h. l.* DANIEL HEINSIVS in *exercitationibus ſacris, pag.* 517. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *loc. cit. vol. III. pag.* 458. *ſeq.* et, quos ille citat, alii.

Verum enimuero non conuenire textui videtur illa explicatio, iſtique praeferenda alia, quam pariter vocis καυτηριου et καυτηριαζειν non tam permittit, quam praecipit eligere ſignificatio. Generalius ſcilicet *cauterium* vocabulum eſt, omne id, quod urit, denotans. PLINIVS in *hiſtoria naturali, lib. XXII. cap. XXIII.* ſucco laſeris ſiue laſerpitii, quod *Meiſter-Wurtz* Germani appellant, vim vrendi tribuit. Et vocantur ſucci ſiue ſpiritus illi, quos corroſiuos lapides vulgo dicimus, auferendaeque carni putridae adhibent chirurgi, cauteria. GALENVS ferrum illud candens, quo amburitur, vt occalleat, abſciſſum membrum, cauterium nominat, idque deſcribit, tanquam calamum aeneum, in fundo perforatum, per quem demittatur ferrum ignitum, vt ſic vrat iſtam partem, vbi facta fuerat reſectio, quo occal-

leſcat

leſcat illa et ſtupeſcat ſiue indureſcat omnique ſenſu priuetur. vid. LVDOVICVS COELIVS RHODIGINVS, ex medico Arabico id referens, *loc. cit. pag.* 389. nec non HEINSIVS in *exercitationibus ſacris ad h. l. pag.* 560. Et haec ad medicorum atque chirurgorum cauteria alluſiſſe Paulum apoſtolum, haud inepta, imo commoda magis, multorum eſt ſententia, licet ipſi, circa moris huius explicationem et applicationem, nondum inter ſe conſentiant. Nonnulli namque καυτηριαζειν idem eſſe volunt, ac *cauterio reſecare, amputare;* hisque audiunt κεκαυτηριασμενοι, nullam qui habent reliquam conſcientiam. Aliis verbum καυτηριαζειν nihil aliud ſignificat, quam *cauterio amburere;* et horum ex ſententia οι κεκαυτηριασμενοι habent quidem conſcientiam, at talem, quae per aduſtionem ſtupida facta ſit, calloſa atque ſenſu carens. Ad priorem interpretum claſſem referendus THEODORVS BEZA in *comment. ad h. l.* HEINSIVS *loc. cit.* IVNIVS ac TREMELLIVS, non ſolum verba apoſtoli vertentes: *quorum conſcientia cauterio reſecta eſt,* ſed in nota ita explicantes: *quorum ita obduruit conſcientia, vt callum obduxerit, deinde cancrum illam dicit inuaſiſſe, poſtremo iam eſſe cauterio amputatam;* itemque BENEDICTVS ARETIVS *comment. in epiſtolas Apoſtolorum, ad h. l.* IO. HENR. ALSTEDIVS in *paratitlis;* IO. PISCATOR in *analyſi* ſua,

ſua, ſiue *comment. in nou. teſt. pag.* 651. et MARTINIVS in *lexico philologico*, voc. *cauterium;* qui poſterior pro ſtabilienda interpretatione ſua HESYCHIVM allegat, quaſi κεκαυτηριασμενον ille dicat, qui non habeat conſcientiam. Sed male, nec fideliter HESYCHIVM allegat MARTINIVS. Non enim, qui non habeant conſcientiam, ſed qui non ſanam habeant conſcientiam, illi, vti et SVIDAE, dicuntur οι κεκαυτηριασμενοι. Praeferenda vero ex duabus hiſce commemoratis explicationibus poſterior videtur, eorum ſcilicet, qui cauteriatis conſcientiam aliquam tribuunt, ſed calloſam ſtupidamque, crimina ſua et peccata haud ſentientem amplius; qua ratione apoſtoli verba interpretantur THEODORETVS *comment. in epiſtolas Paulinas, ad h. l.* ABRAHAMVS SCVLTETVS, et, qui eum allegat, EDVARDVS LEIGH in *critica ſacra noui teſtamenti, pag.* 172. *b.* nec non IOSEPHVS MEDVS, medicus Anglus, in *diatribis ad varia Scripturae loca, ad h. l.* RHODIGINVS item *loc. cit. pag.* 389. aliique. Cauſa, cur fundatam iſtam magis eſſe credam, haec eſt, quod ſcopo diui apoſtoli textuique ſacro reſpondere eam potius perſuaſum habeam. Hic namque, cum in verbis locum noſtrum antecedentibus defectionem Antichriſti, ſiue pontificis Romani, cum ſuis aſſeclis, deſcribat, noſtro commate 2. hypocritas hos eſſe affirmat, praeferentes

tes quidem prae ſe pietatis et coeleſtis veritatis ſpeciem, at ſub illa mendacia reuera (in ſequentibus verbis commemorata ab Apoſtolo) propinantes, contra ipſam vero conſcientiam talia docentes, cum falſitatis conuicti atque refutati ſatis ſint ab eccleſiae noſtrae doctoribus, expreſſa ſcripturae loca, ipſos ſynodorum canones et veterum eccleſiae patrum doctrinas illis opponentibus, at calloſam eiusmodi habeant conſcientiam, vt ſenſu quaſi maneant carentes et mendacia ſua deſerere praefracte nolint. Non ergo nullam prorſus conſcientiam habere illi dici poſſunt, ſed eiusdem ſaltem amittere ſenſum, licet morſus illius prorſus tamen reſtringere non valeant. Vid. IO. FRANCISCI BVDDEI *inſtitutiones theologiae moralis, part. I. cap. I. ſect. III. §. XV.* Recte ſcribit b. CHRISTIANVS STOCKIVS in *clauе linguae ſanctae noui teſtamenti, p. m. 525. Conſcientia cauteriati ſunt homines, quorum animi callo malitiae ita ſunt obducti, vt in rebus peſſimis nullos ſtimulos, nullas punctiones ſentiant, quia contra conſcientiam agere ſueti ſunt. Sicut enim cauterio in quadam corporis parte ſenſus doloris adimitur, ita conſuetudine peccandi contingere poteſt, vt conſcientiae reclamantis morſus aliquis non amplius curet et ſentiat.*

Satis ergo commode dicto modo explicari poſſe videtur mens diui Pauli apoſtoli,

vt

vt adeo, quod fecerunt MATTHIAS FLACIVS, Illyricus, in *gloſſa ad h.l.* *et* FRIDERICVS BALDVINVS *comment. ad h. l.* *το επεχειν* eligere hic non opus habeamus. Nec iis accederem, qui, licet ſimilitudinem chirurgici inſtrumenti retineant, per illud tamen ſimpliciter laeſionem factam intelligunt, hoc ſenſu, vt conſcientia per hypocriſin et doctrinam falſam laeſa ita, corrupta ac deprauata dicatur, quemadmodum cutis humana aut corium quoduis, cauterio aduſtum atque denotatum, corrumpitur et vitiatur. Videantur, ita ſentientes, AMBROSIVS *in h.l.* et REMIGIVS, monachus Antiſiodorenſis, ſeculi noni ſcriptor, in *commentario in omnes XIV. S. Pauli epiſtolas*, (ab aliis REMIGIO Rhemenſi tribui ſolito) *ad h. l.* nec non ABRAH. SCVLTETVS in *obſeru. in epiſt. ad Timotheum, ad h.l.*

IX.

IVDITH. XVI. 31.

De libri huius veritate variae ſunt virorum eruditorum ſententiae, aliis in dubium eam vocantibus, aliis vero eandem vindicantibus. Conſulantur, qui ab vtraque parte allata argumenta commemorarunt, duumuiri quondam celeberrimi, PETRVS DANIEL HVETIVS in *demonſtratione euangelica,*

lica, propoſ. IV. cap. XIV. p. m. 218. *ſeqq. edit. Lipſ.* et IO. ALB. FABRICIVS in *prolegomenis in librum Iudith,* vna cum ceteris in alios libros apocryphos prolegomenis, Lipſiae anno MDCXCI. in forma octopartita editis, *pag.* 94. *ſeqq.* Inter argumenta, quibus totum hunc librum commentitium meramque parabolam eſſe, GROTIVS, FABRICIVS aliique demonſtrarunt, deſumtum aliquod etiam eſt ex vltimo capitis decimi ſexti et totius libri commate, quo feſtiuitas annua ob Iudithae victoriam commemoratur. Illius namque cum nemo ex hebraeis ſcriptoribus fecerit mentionem, nec vlla eius reperiatur apud Iudaeos memoria, merito hoc etiam contra libri ipſius γνησιωτητα vrgetur. Nec enim PHILONI aut ANNIO Viterbienſi, id narrantibus, fidem habendam eſſe, monet FABRICIVS *loc. cit. pag.* 121. *ſeq.* Placuit interim contrarium HVETIO, qui contra GROTIVM, argumento ſupra dicto vtentem, *loc. cit. p. m.* 221. *a.* diſſerit: vbi inter alia haec leguntur eius verba: *Quamuis autem nulla nunc feſtiuitatis, ex facto Iudith inſtitutae, occurrat in Ebraeorum libris memoria, tempore potuit abrogari, vt fit.* Non ſatis fecit vero haec HVETII coniectura celeberrimo quondam, et inſignibus in literaturam orientalem meritis conſpicuo, Iureconſulto ac Conſiliario Gothano, IO-

ANNI FRIDERICO BREITHAVPTO, * quippe qui, literis ad HVETIVM datis, dissensum suum testatus huic fuit. Optarem, vt ad manus essent hae BREITHAVPTI literae, lectori ob oculos ponendae. Quod dum integrum mihi non est, communicabo cum ipso tamen epistolam HVETII responsoriam, quam Idibus Martii anno MDCC. Lutetiae Parisiorum dedit ad BREITHAVPTVM, ipsiusque obiectionibus respondit, et quae in *demonstratione* sua *euangelica*, contra GROTIVM monuerat, vberius illustrat. Typis enim cum, quantum memini, exscripta ea nondum sit, ingratum minus erit beneuolo Lectori, eam hocce loco legere ex MSto appositam. Ita vero ille:

Clarissi-

* Vitam huius IO. FRID. BRITHAVPTI, vna cum decenti meritorum eius in literaturam orientalem commemoratione, exhibuit IOACH. IVSTVS BREITHAVPTVS, Halensis olim academiae theologus, in *memoria Caplatoniana, oder Lebens-Beschreibung zweener Breithaupten, welche im andern Decennio des jetzigen Seculi zu ihrer Ruhe gelanget sind*, anno MDCCXXV. a CHRISTIANO POLYCARPO LEPORINO in forma octuplicata edita, *pag. 1. seqq.*

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,

IO. FRIDER. BREITHAVPTIO

S. P. D.

PETRVS DANIEL HVETIVS,

Epiſcopus Abrincenſis.

*Quo tempore literas Tuas ad me attulit honeſtus et eruditus iuuenis, moleſtiſſimis negotiis eram implicitus, ex quibus ne nunc quidem totus emerſi. Sed tamen cum eum accepiſſem reditum ad Vos parare, nolui committere, vt iuſtiſſimum reſpondendi deſererem officium, et humanitatem, qua prouocatus ſum abs Te, illiberali ſilentio proſequerer. Praeſertim cum ex epiſtola Tua et dubitatione illic propoſita eruditionem Tuam et inſignem hebraicarum literarum peritiam agnouerim: cui ſi fauere fructumque ex ea capere renuero, me mei obliuiſci, priſtinumque animum exuere, neceſſe ſit. Iam ad rem quod pertinet, haec carpis verba Demonſtrationis * meae euangelicae:* Quamuis nulla nunc feſtiuitatis, ex facto Iudith inſtitutae, occurrat in Ebraeorum libris memoria, tempore potuit abrogari, vt ſaepe fit; *docesque mentionem fieri Iudithae, Holophernis atque etiam Achioris in libro precum Iudaicarum, Amſtelodami edito. Attendi vero velim abs Te, me diſputare*

* *Loco* ſupra *citato* obuia.

tare hoc loco aduerſus GROTIVM, *qui fidem detrahit libro Iudith, negatque, vllam feſtiuitatis huius exſtare memoriam apud Iudaeos, ſed feſti tantum encaeniorum ſiue luminum. Ego vero id volui reſponſione mea, atque id ipſa ſonant verba, etiamſi nulla nunc occurreret in libris Iudaeorum feſtiuitatis huius memoria, potuiſſe eam tempore abrogari; ac proinde petitum inde argumentum* GROTII *nullum eſſe. Aliud autem eſt fateri, nullam occurrere in libris Iudaeorum feſtiuitatis huius memoriam; aliud, reſpondere, etiamſi res ita ſe habeat, vt contendit* GROTIVS, *nihilo meliorem ipſius cauſam fore. Neque tamen exiſtimes, reprehendendum in eo putare me* GROTIVM, *quod negauerit, feſti huius Iudithaei notitiam haberi inter Iudaeos; nam fidem ſecutus eſt graeci interpretis, qui poſtremum hoc commma vltimi capitis non agnoſcit: et verba illa, quae affers ex libro precum Iudaicarum, minime repugnant verbis* GROTII: *iis enim commemorantur Iuditha, Holophernes et Achior; at nulla illic feſtiuitatis ex Iudithae facto inſtitutae mentio. Intenderam praeterea digitum ad fontes, vnde opinionem hanc hauſit* GROTIVS, *carmen nempe Iudaei poetae, quem laudat R.* DAVID GANZ; *ex quo intelliges, non aliud feſtum ſignificari a latino interprete libri Iudithae, quam feſtum encaeniorum. Inde igitur clariſſime colligitur, quod colligit* GROTIVS, *neque* DAVI-

DEM

DEM GANZIVM, *neque Iudaeum illum poetam nouiſſe feſtiuitatem illam Iudithaeam; quam nouiſſent ſane, ſi vlla in gente ſua exſtitiſſet. Notandum quoque lemma, carmini huic Iudaico, quod laudas, praefixum,* יוצר לשבת וחנוכה. *Num feſtum a Iuda Macchabaeo inſtitutum, quod vulgo dicebatur* דלקת הנרות, *vna erat ex quatuor* חנוכות *Iudaicis, et* חנוכה *dicebatur* κατ εξοχην, *non item Iudithaeum feſtum, in quo nulla fuit vel templi, vel aarae dedicatio: fuit autem in aliis feſtis, quae* חנוכות *dictae ſunt. Eſt penes me liber antiquus Iudaicarum precum, calamo in membranis eleganter deſcriptus, in quo neque carmen illud exſtat, neque carminis lemma. Nec mouebit Te, opinor,* IEDIDAEI *Alexandrini auctoritas, futilis et inepti et* ψευδονυμου *ſcriptoris, qui libri Iudithae lucubrationem et Iudithaei feſti inſtitutionem tribuit Ioſuae, Pontifici Maximo Iudaeorum. Nam ſubditititium eſſe huius* IEDIDAEI *libellum de temporibus, et recentius ac latine primum ſcriptum, et hebraice a R.* AZARIA *redditum, noſti; et quae iſtic narrantur de annua feſti huius celebratione, petita eſſe ex latina libri Iudith interpretatione. Egregiis lucubrationibus Tuis in R.* SALOMONEM IARCHI *et in* IOSEPH. GORIONIDEM* *libe-*

* De IOSEPHO hoc GORIONIDE, variisque eius editionibus, et eruditorum circa illum curis, vid. IO.

liberalem aliquem et diligentem contingere editorem, valde optem; neque in eo quaerendo parcerem operae meae, ſi eius apud nos nanciſcendi ſpes affulgeret aliqua. Verum ſtudia bonarum literarum adeo obſoleuerunt in his locis, vt ne in latinis quidem ſcriptionibus, nedum in graecis ebraicisue, publicandis vllas omnino impenſas facere velint librarii noſtrates; imo ne in vernaculis quidem, quae eruditionem ſapiant. Nihilo melior eſt conditio literarum in Hollandia. Quamobrem auctor Tibi ſum, vt ad Anglos Te conuertas, vel ad eos certe Germanos, quibus in pari cauſa uſus eſt Wagenſeilius: iam interpretationibus Tuis adiungenda ſimul ebraica, perinde vt ab eo factum eſt, cenſeo. Quod ſi rem promouere commendatione mea poſſim, tuaque praeclara adiuuare ſtudia, ſcito, me nullis omnino officiis defuturum. Vale.

Iisdem,

---

1 CHRISTOPH. WOLFII *bibliotheca hebraica, vol. I. pag. 508. ſeqq. vol. III. pag. 387. ſeqq. et vol. IV. pag. 849.* qui et de SAL. IARCHI, ſiue RASCHI, *vol. I. pag. 1057. ſeqq. vol. II. pag. 1042. ſeqq. et vol IV. pag. 986. ſeq.* agit. De BREITHAVPTII vero circa vtrumque ſcriptorem hunc Iudaeum adhibita cura et induſtria vid. ſupra allegata *memoria Caplatoniana, pag. 12. ſeqq.* et WOLFIVS *vol. I. pag. 518 ſeq. et pag. 1064.* Scilicet Gothae edita eſt anno MDCCVII. in forma quadripartita verſio IOSEPHI GORIONIDIS, a BREITHAVPTO adornata, SALOMONIS IARCHI vero commentarius, ab eodem latine verſus et notis illuſtratus, ibidem eademque forma, annis MDCCXIII. et MDCCXIV.

Iisdem, quibus hic HVETIVS, armis pugnat, quoad feſtum in memoriam victoriae Iudith inſtitutum, et commate noſtro commemoratum, BERNHARDVS MONTFAVCONIVS in libro gallico, *la verité de l'hiſtoire de Iudith* inſcripto, et Pariſiis anno MDCXC. in 12. edito, *part. III. pag. 296. ſeqq.* Conferri pluribus de feſto hoc, et praeſenti illud indicante loco, poterit IOANNES SELDENVS *lib. III. de ſynedriis veterum Ebraeorum, cap. XIII.* §. *X. ſeq.* vbi, in verſionibus recentioribus e graeco factis, e. g. Anglicana, epiſcopali dicta, et quae ſecuta eſt ſub Iacobo rege, nec non in Gallica, Belgica aliisque plane deeſſe comma hoc vltimum, commemorat. Ex recentioribus, hiſtoriam Iudithae in genere labefactantibus et euertentibus, nominandus adhuc eſt IO. FRIDERICVS SCHROEERVS in *imperio Babylonis et Nini, ex monimentis antiquis illuſtrato*, quod Francofurti et Lipſiae anno MDCCXXVI. in 8. edidit, *ſect. IV.*

X.

2. SAM. XIV. 26.

Legimus hic, ducentorum habuiſſe ſiclorum pondus quotannis tonſos capillos Abſalomi. In bibliis regiis centum tantum

memorantur ſicli; vti et habet PAVLINVS. *epiſt. IV. ad Seuerum.* Vera vero rectaque illa eſt lectio. Sed qui fieri id potuit, (quaereret aliquis) tanti vt ponderis illi fuerint? Ducenti namque ſicli centum faciunt vncias, quantum vix eſſe videtur pondus totius capitis humani. Alii propterea, quos nominant LYRA ac TOSTATVS, non de proprie dicto capillorum pondere, ſed de illorum potius pretio eſſe hic ſermonem voluerunt, addentes, quod comas flauas adeo formoſasque Abſalomus habuerit, vt magno impendio a puellis Hieroſolymitanis fuerint coemtae. Non probatur hoc aliis, turpe regis filio tale ſtatuentes lucrum, pretiumque iniuſtum iudicantes; ac probabile minus, muliebribus etiam ornamentis ineptam comam hancce. Quorum autem rationes ſufficientes eſſe, negat THOMAS HVRTADVS, Toletanus, in *reſolutionibus de vnico martyrio, digreſſ. V. ſect. XII. pag.* 403. *tum* quoniam comam iſtam tonſam non regis filius, ſed tonſos vel camerarius, pro ſuis habens ornamenta principis relicta, vendiderit; *tum* quia, propter perſonae dignitatem comaeque pulchritudinem, maximi iſtam foeminae aeſtimauerint ad floſculos ex capillis regiis ſibi faciendos, quibus caput ſuum ornarent, magis forte iſta vanitate, quam gemmis lapidibusque pretioſis, delectatae. Non ergo, phyſicum hoc loco pondus indicatum eſſe, ſuſpi-

ſuſpicatur, ſed morale potius, quod ex hominum aeſtimatione accipitur, prouti gemmae pariter margaritaeue dicantur centum ponderare argenti vncias, non iſtius grauitatis, vix quatuor ſaepe drachmas excedentis, ſed aeſtimationis, ex albedine, rotunditate etc. deſumtae, ratione. Addit etiam, apud Latinos aeque, ac hoc loco, *ponderare* paſſim pro *aeſtimari* ſumi, et pro *valore*, quo res aeſtimatur. Quamuis autem vero hic videatur proxime accedere, illam tamen ſententiam meam facere dubitarem. Videtur namque res hic potius narrari, tanquam noua atque rara, comaque Abſalomi denſa fuiſſe et grauis, cuius ille ſenſerit quidem moleſtum nimis, niſi tonderetur, pondus, minus tamen ita ſenſerit, quam ſi pondus aliquod extrinſecum ipſius impoſitum fuiſſet capiti; quandoquidem capillus hic naturalis eodem modo ſeſe habuit ad corpus, vti naturale corpus ipſum per ſe quidem graue eſt, cuius tamen pondus adeo non ſentit homo. Vid. SAMVELIS BOCHARTI *epiſtola ad* MICH. FAVKELIVM, quae legitur ipſius in *Geographia, pag.* 883. Notari autem hic poteſt FLAVII IOSEPHI temeritas, qui *lib. VII. antiquitatum Iudaicarum, cap. VIII.* tantam fuiſſe ſcribit Abſolomi comam, vt vix octo dierum ſpatio potuerit tonderi; quo de momento in textu biblico neque vola reperitur, nec veſtigium.

XI.

GENES. VI. 15.

Per cubitum hic commemoratum ORIGENES, Iudaeorum ex traditione, ait, Moſen diuum intelligere geometricum, quam opinionem probat AVGVSTINVS *lib. XV. de ciuitate Dei, cap. XXVII.* ſcribens: *ſi cogitemus, quod Origenes non ineleganter adſtruxit, Moſen ſcilicet, hominem Dei eruditum, ſicut ſcriptum eſt, omni ſapientia Aegyptiorum, qui geometricam dilexerunt, geometrica cubita ſignificare potuiſſe, vbi vnum, quantum ſex noſtra, valere aſſeuerant, quis non videat, quantum rerum capere potuit illa magnitudo?* Sed improbat id GEORGIVS HORNIVS in *notis* ſuis *ad Sulpitii Seueri hiſtoriae ſacrae lib. I. cap. III.* vbi mentionem eius faciens addit: *quam et ego probarem, niſi ſcirem, Moſen vbique ſe accommodare ad captum vulgi. Quocirca non eſt credibile, eum locutum eſſe de cubitu geometrico, cuius menſura eruditis tantum nota erat. Neque cauſa eſt, cur eo confugiamus, cum ſimpliciter numerus horum cubitorum, vt a Moſe poſitus eſt, ſufficiat ad omnes animantium ſpecies capiendas, et eorum in annum alimoniam.* Laudat porro IO. BVTEONEM, celebrem ſeculi decimi ſexti mathematicum, omnium qui exactiſſime de arca iſta commentatus fuerit in eru-

eruditiſſimo de eadem ad FRANCISCVM TVRNONEM, cardinalem, ſcripto libro. Conf. et MATTHAEI HOSTI *inquiſitio in fabricam Noae.* Gentilibus vero hiſtoriam diluuii et arcae Noachicae incognitam haud fuiſſe, oſtendit FLAVIVS IOSEPHVS in *antiquitatibus Iudaicis, lib. I. cap. IIII.* eam in rem BEROSVM, Chaldaeum, HIERONYMVM, Aegyptium, MNASEAM et NICOLAVM, Damaſcenum, laudans. Praeter quos tamen eiusdem etiam meminerunt ALEXANDER, cognomine *Polyhiſtor*, MELON et EVPOLEMVS, teſte EVSEBIO. Vnde merito miramur, AVGVSTINVM *loco* ſupra *citato, lib. XVIII. cap. VIII.* ſcribere, quod *diluuium illud maximum gentium nec graeca nec latina nouerit hiſtoria.*

XII.

GENES. VII. 16.

Quando hic clauſiſſe Deum poſt Noachum arcam legimus, in mentem venit, ſuperiora dum ſcribimus, nomen, quod arcae SVLPITIVS SEVERVS *loco* modo *indicato* tribuit, *clauſtrum* illam nuncupans, quoniam nimirum clauſa vndique et a Deo ipſo denique occluſa fuerit. Factum vero hoc ideo fuiſſe, cenſet CHRYSOSTOMVS *homil. XXV. in Geneſin,* ne aquarum ſaeuitiam ac tot hominum

minum brutorumque interitum videns Noachus nimium contriſtaretur.

XIII.

DEVTER. XXVIII. 66.

Ceteras inter comminationes, quibus Iudaeis immorigeris futuris variae, eaedemque grauiſſimae, infligendae praedicuntur plagae, de *vita* eorum dicitur, quod ſit futura *ſuſpenſa* ipſis *e regione* etc. Vetuſtiſſimus patrum, IRENAEVS *lib. IV. cap. XXIII.* de Chriſto crucifixo locum huncce accipit, ac ſi praediceretur iſto, fore, vt cruci ille affixus fide ſuſcipiatur, prouti verba eius ſonant: *ſignificans, quoniam, quod ab initio condidit et fecit eos, verbum, et in nouiſſimis temporibus redimens nos ac viuificans, oſtenditur pendens in ligno, et non credent ei; ait enim: et erit vita tua pendens ante oculos.* IRENAEVM ſequitur TERTVLLIANVS libro *contra Iudaeos, cap. XI.* qui et de ſuo verba: *in ligno* addit, per oſcitantiam autem ex Exodo citat verba iſta: *ſicut Moſes*, ſcribens, *ante nuntiabat in Exodo dicens: eiiciemini de terra, quam introibitis, et non erit ſtabilitas veſtigio pedis tui, et dabit tibi Deus cor pauidum et tabeſcentem animam, et erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos, et non credes vitae tuae: itaque quia impleta eſt*

eſt prophetia per aduentum eius, id eſt, per natiuitatem, quam ſupra nominauimus, et per paſſionem, quam euidenter ediximus, propterea et Daniel ſignari prophetiam et viſionem dicebat. etc. Plures veterum pro hac ſententia allegat CHRISTOPHORVS PELARGVS, eamque ipſe pro viribus tueri conatur in *commentario in Deuteronom. ad h. l.* Inter recentiores eandem amplexus eſt doctiſſimus GEORG. LVDOV. OEDERVS, huic loco, in *ſyntagmate obſeruationum ſacrarum*, ſingularem obſeruationem, quae ordine *quinta* eſt, dicans, et ad Chriſtum illum pariter applicare ſtudens. Solum vero CYPRIANVM in *teſtimoniis aduerſus Iudaeos, lib. II. cap. XX.* huic interpretationi fauentem adducit, nullos autem nactum fuiſſe eum ſuffragatores ait §. *I. et II.* per quos ſi recentiores intelligit interpretes, habet ſecum me conſentientem; de patribus enim contrarium ex iis, quae adduxi, patet. Vnanimi potius conſenſu de Chriſto interpretatos eſſe hocce vaticinium veteris eccleſiae doctores, notat CHRISTOPHORVS STARCKIVS in *ſynopſi bibliothecae exegeticae in vetus teſtamentum, tom. I. pag.* 1155. Quod vero ad rem attinet, reuera cohaerentiam textus ex oculis dimiſiſſe illi videntur, cum alium ſane requirat horum ſenſum, quicquid etiam ſe macerent PELARGVS et OEDERVS. Mera proponuntur in antecedentibus temporalia

ſuppli-

ſupplicia ac dirae calamitatesque immorigeris, proponuntur et in ſequentibus; nec conciliari, immediate quae noſtra excipiunt, verba cum iis apte poſſunt. Putat quidem, optime interpretationi ſuae conſuli ex ipſa huius contextus conſideratione, OEDERVS. Diſerte enim §. *V. Ceterum id,* ait, *disquirendum: an conueniat contextui? Negabunt alii; ego vero, aio, conuenire pulcherrime. Hactenus Moſes varia ſuppliciorum genera enarrauerat, quibus afficiendi forent Iudaei. Iam non putandum eſt, haerere Moſen tantum in corporalibus malis externisque recenſendis. Reliquum erat malorum omnium maximum et atrociſſimum, ſtupenda mentis coecitas, quod Meſſiam, Dei filium vnigenitum, Dominum gloriae, in crucem agerent* etc. Qualis haec cohaerentia? Commate 65, de pauido cordis habitu, quo puniturus eſſet Iudaeos, inter gentes varias diſſipatos, Deus, ſermo fuit. In noſtris verſus 66. verbis de ſumma agendi in crucem Seruatorem malitia OEDERVS loqui diuum Moſen iubet. Statim vero in ſequentibus ad inquietam mentem et de vita deſperantem animum reuertitur, malaque temporalia illos tunc manitura deſcribere pergit. Hic ego nullam, quod pace viri doctiſſimi dixerim, video, niſi quae coacta ſit ac vixdum demonſtranda, verborum connexionem, ſi ad ipſius mentem verba Moſis accipere quis velit. Nec ſane de pauo-

pauore ac terrore, hodie poſt Seruatorem a ſe cruci affixum, quo ſit perculſa incredula Iudaeorum poſteritas, intelligi commode verba, quae noſtris proxima ſunt, poſſunt, vti reuerendus OEDERVS §. *VII.* exiſtimat. Annum diſperſi inter gentes Iudaei interfecerunt mundi ſoſpitatorem? Minime. Naturalis contra ac facillima fluit connexio, ſi de temporali vita eiusdemque periculo, metum talem, qualis deinde commemoratur, merito producente, verba, de quibus ſermo mihi eſt, accipiamus hunc in modum: *erit vita tua ſuſpenſa tibi, vt neſcias, quid agas, quid ſequaris, quid fugias, et haec cura ſemper e regione tui erit, numquam non ob oculos tibi verſabitur.* Phraſis vero hic obuia aliis pariter in locis eodem ſenſu vſurpata deprehenditur. Conf. Ioſ. X. 26. Hoſ. XI. 7. Num. XXIII. 19.

XIV.

GENES. XLV. 22. LVC. XX. 46.

Annotat ad poſteriorem locum in *curis* ſuis beatus WOLFIVS ex GATAKERO, quod aliis veſtibus domi, aliis in publico vti veteres ſoliti fuerint. In mentem haec legenti venerunt, quae de Lycurgo tradit XENOPHON in libro *de inſtitutione reipublicae Lacedaemoniorum, cap. II. §. IV.* eum ſcilicet,

cet, cum in mutandis veſtibus luxuriae mirum in modum indulſerint ceteri Graeci, Lacedaemonios per totum annum vni veſtimento aſſueſcere iuſſiſſe, rationemque huius inſtituti addidiſſe hanc, quo eo ipſo ad ferendum aeſtum atque frigus redderentur eo magis apti. Traditur idem a latinis pariter ſcriptoribus; ſed ita, vt interpretatione ex antiquitatibus petita indigeant. Sic enim IVSTINVS *lib. III. cap. III.* de Lycurgo ſcribit: *iuuenibus non amplius vna veſte vti anno permiſit, nec quemquam cultius, quam alterum progredi.* Senſus verborum horum eo redit, quod annum duodecimum egreſſos iuuenes vnica tantum veſte vti, et pallium ſaltem, ſine interiori tunica, habere voluerit Lycurgus, ita vt eodem veſtimento tam hiberno, quam aeſtiuo, tempore inceſſerint induti. Praeter XENOPHONTEM iam citatum docet idem PLVTARCHVS quoque in *vita Lycurgi,* ſic de eo ſcribens: *vbi attigerunt annum duodecimum, iam ſine tunica agebant, vnum accipiebant quotannis pallium.* Aetatem tamen prouectam aſſecutos iuuenes tunicam, praeter pallium, accepiſſe, ex antiquitate conſtat, licet ſenes etiam aliquando, qui iam indurati erant, ſolo pallio, hiberno quoque tempore, vſi fuiſſe legantur, prouti de Ageſilao referunt PLVTARCHVS in *apophthegmatibus Laconicis,* et AELIANVS *lib. VII. var. hiſt. cap. XIII.*

Quis

Quis vero legis huius ſcopus fuerit, a Lycurgo intentus, facile apparet. Obicem ſcilicet luxuriae ponere hoc ipſo voluit Lycurgus, dum, vt ſupra dicto loco IVSTINVS tradit, ne quis cultius altero progrediatur, conſtituit. Idem namque ſicut erat victus illorum hominum, regiorum aeque puerorum, ac infimae ſortis hominum liberorum, ita veſtitus pariter idem prorſus; quemadmodum id docet ARISTOTELES *lib. IV. polit. cap. IX.* vbi rex eodem vſus veſtimenti genere fuiſſe narratur, quam pauperrimus quisque. Mentio autem quando hic fit pauperum, reſpectu ceterorum Graecorum, ita loquitur ARISTOTELES, non Lacedaemoniorum, quippe qui diuitiis, nullum apud eos vſum habentibus, prorſus non gaudebant, teſte XENOPHONTE *cit. loc.* Hinc THVCYDIDES *lib. I. init.* Lacedaemonios primum inter Graecos lege ſanxiſſe, ait, vt modico et aequali inter omnes veſtitu veſtirentur homines. Et de Diogene AELIANVS *lib. IX. cap. XXXIV.* narrat, quod, cum publicis in ludis Rhodios adoleſcentes laute viderit veſtitos, faſtum eorum publice culpauerit, iisdem vero in ludis adoleſcentes videns Lacedaemoniorum, vulgaribus ingredientes ſordidisque veſtibus, dixerit: *videte alium faſtum*, duritiem ſuam oſtentare volunt. Quis vero non vtile hoc maxime fuiſſe reipublicae profite-

tur? quippe cuius in eo praecipue conſiſtit vtilitas, aequalitas vt conſeruetur, quod vero fieri felicius non poteſt, quam ſi diuitiarum tollitur abuſus, leges vero obſeruantur fideliter. Quare, AELIANO teſte *lib. XIV. cap. VII.* ephori, praecipuus Graecos inter magiſtratus, veſtimenta ciuium et iuuenum quotannis vt inſpicerent, poſitum in more fuit, et attendere maximopere illi debuerunt, num decore omnia, id eſt, ſecundum leges, confecta eſſent, an vero ſuperfluus quis ornatus deprehenderetur. Ceteroquin corpora eneruabant, vti XENOPHON loquitur, Graecorum reliqui, veſtes ſaepius mutando. Quae quidem veſtium mutationes hoc loco abſolute ſunt accipiendae, reſpectu diuerſi anni temporis, ita vt alia veſte vſi aeſtate, alii hyeme fuerint. Interim ornatus tamen cauſa mutare maxime ſolebant veſtimenta veteres. Alba namque geſtabant Romani pariter ac Graeci, quae, ſi ſordimenti quid contraxerant, fulloni tradebantur purganda additaque creta dealbanda, et priori ſplendori reſtituenda. Liquet hoc ex Epaminondae facto apud AELIANVM *lib. V. cap. V.* ea qui paupertate viuebat, vt vno tantum pallio gauderet, et, ſi dandum illud fulloniam in officinam erat, domi manere cogebatur, quoniam aliud non interea temporis ipſi pallium induere liceret. conf. de fullonum apud Romanos vſu

IO. MICH. DILHERRVS in diſſertatione *de vſu ſcriptorum ſecularium et antiquitatis*, Altorfii anno MDCXXXV. publice ventilata, et in *tomo I.* ipſius *diſſertationum philologicarum*, Norimbergae anno MDCLII. in 4. coniunctarum edit, recuſa. Cauſa vero haec eſt, cur ſaepius ita legamus in ſcriptoribus, veſtes commemorari mutatorias. Si e. gr. occurrunt apud HOMERVM *Odyſſ.* ϑ. 249. ιματια εξημοιβα, quae HESYCHIVS docet eiusmodi fuiſſe veſtimenta, quae ob multitudinem mutari fuerint ſolita. Idem mos nec orientalibus antiquiſſimis temporibus ignotus fuit. Vnde in priori, ad quem haec ſcribo, loco Gen. XLV. 22. Ioſephus dicitur binas ſingulis fratribus dediſſe veſtium mutationes, Beniamino vero quinque. Et Romanos inter iſte aeque mos inualuit; prouti FLAVIVS VOPISCVS in *vita Probi, cap. V.* triplices ipſi, cum bene res geſſiſſet, dono fuiſſe datas iuſſu imperatoris veſtes, narrat. Imo tanta erat in his veſtimentis veterum luxuria, vt aliquot centena, imo millena domi haberent; quemadmodum de Lucullo, quod roganti cuidam ducenta veſtimenta dederit, memini, me legere relatum. Salſe inde MARTIALIS *lib. II. epigr. XLVI.* luxurioſum quendam ſic alloquitur:

atque vnam veſtire tribum tua candida poſſunt.

et *lib. V. epigr. LXXXI.*

Vndecies vna ſurrexti, Zoile, coena,
et mutata tibi eſt ſyntheſis vndecies.

Referendum ad hunc morem quoque eſt, quod commemoratur apud SVETONIVM in *vita Tiberii, cap. LVIII.*, capitale fuiſſe ſub Tiberio, circa Auguſti ſimulacrum veſtimenta mutaſſe. Et referri eo forte poſſet, quod in praecepto Seruatoris Matth. X. 10. de duabus veſtibus, a diſcipulis iter facientibus non ſecum portandis, legimus, niſi ea potius reddenda eius eſſet ratio, quam inculcaui in *diſquiſitionibus* meis *philologicis*, *pag.* 86. Haud tamen tollere altera alteram videtur.

Maxime autem, quod obiter obſeruo, veteres mutabant veſtes in re laeta, in ſacris, itemque honoris habendi cauſa. In re laeta quod morem hunc ſeruauerint, ex PLAVTO patet *Caſin. IV. ſc. VIII. v.* 20. ſponſus vbi incedit candidatus, vti et ex LIVIO *lib. XLV. cap. XX.* vbi Rhodii legati, poſt victoriam de Perſeo deportatam Romanorum, gratulatum miſſi Romam in candida primum apparuerunt veſte, deinde vero, reiecti a ſenatu, eo quod decenter minus ſe in bello iſto geſſerant, ſordidam ſumſerunt veſtem. Honoris gratia idem factum fuiſſe, vel exinde conſtat, quod, qui con-

conſulatum petebant, miſſis ceteris, quibus vtebantur, veſtibus, candidis ſemper prodire ſolerent, populo honoris deferendi cauſa; vnde *candidatorum* nomen ſortiti hi fuerunt. De mutatione veſtium in ſacris vſitata conſuli poſſunt SVETONIVS in *vita Auguſti, cap. XCVIII.* atque POLYAENVS *lib. I. ſtrategem. cap. XXVII. ex. II.* Ex quo explicandum, quod de Iacobo legitur Gen. XXXV. 2. eum Bethelem, vt Deo ſacra ibi faceret, profecturum inter alia ſuos veſtes mutare iuſſiſſe; item quae habentur Exod. XIX. 10. 14. vbi lauare veſtes ſuas iubebantur Iſraelitae, cum deſcenſurum de monte Sinai eſſet ſupremum Numen. Quod ſane mandatum Iſraelitis ideo datum eſſe videtur, quoniam, cum in deſerto eſſent, mutare veſtes minus potuerint, cuius mutationis loco lauare veſtes eos oportebat, ita quo ad Deum rite accedere poſſent.

XV.

SIRAC. VII. 36. 37.

Non iam, quae de ſepultura dici ad hunc locum poſſent, commemorabo, nec, quanam varia ratione circa mortuorum corpora vel humanda, vel cremanda vſae variae gentes fuerint. Euoluat, cui volupe eſt, vberius ea de re erudiri, veterum de

luctu, funeribus, exiequiis, conſeruandorum cadauerum ratione et monumentis ſepulchralibus ſcriptores, diligenter atque accurate recenſitos a beato IOAN. ALBERTO FABRICIO in *bibliographia antiquaria, cap. XXIII.* quibus addi poterunt LEONHARDVS HOFMANNVS in diſſertatione *de ſingulari Hebraeorum cura ſepeliendi mortuos*, Ienae anno MDCCXXVI. habita, CAROLVS POSSIETH in euulgata *de ſepultura Hebraeorum* diſſertatione, Vpſaliae anno MDCCXXVI. 8. IO. GEORG. ALTMANNVS in disquiſitione philologico- critica *de conſuetudine Iudaeorum, defunctos cantu tibicinum deponentium*, in Tempe Heluetico tom. II. pag. 509. ſeqq. obuia; IO. GEORG. ABICHTIVS in diſſertatione *de ritibus ſepulchralibus, chriſtianam fidem indicantibus*, Wittebergae anno MDCCXXXVI. ventilata; et IO. NICOLAI, antiquitatum olim in academia Tubingenſi profeſſor, in *libello de luctu Chriſtianorum, ſeu de ritibus ad ſepulturam pertinentibus*, quem ex bibliotheca ſua primum edidit SIGEBERTVS HAVERCAMPIVS, Lugduni Batauorum anno MDCCXXXIX. 8. nec non IO. FRID. SAVRMANNVS in tractatu *de iure circa ſepulchra*, Bremae qui anno MDCCXXXVII. 4. lucem vidit. Paucis ſaltem hic de veterum gentilium in mortuos pietate ac religione dicam, iis reſpondente officiis, qualia poſtu-

poſtulat in loco noſtro Siracides. Et plura quidem de iſta occurrunt in hiſtoricorum voluminibus teſtimonia. Iuſta, quae ſubit PLINIVM *lib. VI. epiſt. X.* indignatio, cum, decimo ab obitu Virginii Rufi anno magni huius viri reliquias neglectosque cineres ſine titulo, ſine nomine conſpiceret iacere, eiusdem religionis teſtis eſt. Non autem ſatis erat, defunctorum in honorem vt inſignes pyramides, magnifica mauſolea et nobiliores obeliſcos exſtruerent, vtque in memoriam eorum ſcenicos rite celebrarent ludos, verum promerita etiam elogiorum recenſione eandem ad poſteros transmittere allaborabant, ampliſſimisque praemiis viros ſummas ad decantandas illorum laudes inuitabant, vti Artemiſia cumprimis id feciſſe dicitur apud GELLIVM *lib. XII. noctium Atticarum, cap. XVIII.* Conf. IVSTI CHRISTOPH. BOEHMERI diſſertatio *de laudationibus funebribus, ſiue parentalibus*, Helmſtadii anno MDCCV. et *de orationibus parentalibus*, ibidem anno MDCCVIII. euulgata commentatio, ac GEORG. LVDOVICI GOLDNERI *de antiquo parentandi ritu* programma, Gerae anno MDCCXXI. editum. Quin et, coronas e floribus plexas mortuis impoſitas fuiſſe, tradunt XENOPHON *lib. VI. de expeditione Cyri*, et LVCIANVS in dialogo *de luctu.* vid. CAROLVS PASCHALIVS in libro *de coronis.* Tumulos

praeterea floribus conſperſos, indicant SOPHOCLES in *electra*, PLVTARCHVS in *Numa*, SVETONIVS in *Nerone*, *cap. LIII.* Frondes enim et flores ad ſepulchra ferebant, ac in funere eosdem ſpargebant. vid. CONR. SAM. SCHVRTZFLEISCHII *de ritu ſpargendi flores* diſſertatio, Wittebergae anno MDCXCI. habita. Plura qui de his et ſpecialiora cupit, adeat IO. SEBAST. MITTERNACHTII diſſertationem *de honoribus, quos antiqui defunctis habuerunt*, quae inter ipſius hiſtoricas diſſertationes, Numburgi anno MDCLXVI. in forma octuplicata editas, nona eſt, *pag.* 131. *ſeqq.* *De officio erga defunctos, ſecundum legem naturae*, ſingulari diſſertatione, Tubingae anno huius ſeculi primo publicae disquiſitioni expoſita, egit b. ANDREAS ADAMVS HOCHSTETTERVS. *De ſuperſtitioſo* autem *mortuorum apud Chinenſes cultu* duae legi merentur erudite concinnatae diſſertationes, altera IO. FRANCISCI BVDDEI, Halae eodem anno habita, et in ipſius *analectis hiſtoriae philoſophicae, pag.* 261. *ſeqq.* recuſa; altera GOTTLOB FRID. SELIGMANNI, Lipſiae anno MDCCIII. ventilata, ibidemque in eius *exercitationibus academicis, pag.* 1147. *ſeqq.* recuſa.

XVI.

XVI.

MATTH. V. 39.

Vocem ῥαπις, vnde deſcendit ῥαπιζω, per ῥαβδος, et ῥαπιζειν, per ῥαβδω πληξαι interpretantur HESYCHIVS et SVIDAS, citati a CHRISTIANO STOCKIO in *claue linguae ſanctae nou. teſt. pag.* 874. Iam vero ῥαβδος eſt *virga, bacillus;* vnde ῥαβδουχοι *lictores,* qui faſces praeferebant ſummis apud Romanos magiſtratibus. Deriuat adeo a ῥαβδος vocem hanc EVSTATHIVS *ad Homeri Iliad. μ. p.* 906. Significat etiam *crepidam* ῥαπις, ideoque apud poetas primum eſt Mercurii epitheton χρυσορραπις. Sed dubium eſt, ita num vocetur hic ethnicorum deus ab aureis crepidis, an a virga aurea? Dici enim vtrumque poteſt. Ραπιζω interim notat percuſſionem, tali peractam inſtrumento. Et vſurpatur illud quidem vel abſolute et ſimpliciter, vel addito nomine; prouti v. g. apud PLVTARCHVM in *parallel. graec. tom. II. operum, pag.* 293. additur υποδηματα. Quando autem abſolute ponitur, plerumque *virgis caedere* ſignificat. vid. POLLVX *lib. IV. onomaſt. cap. vlt.* SVIDAS *in hac voce;* EDVARDVS LEIGH in *critica ſacra,* voc. ῥαπιζω; et IO. CASP. SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico, tom. II. p. m.* 900. *ſeq.* Eadem ratione vertunt quo-

que per *bacillis caedere* το ραπιζειν in noui foederis locis, vbi illud occurrit, praeter noſtrum locum, Matth. XXVI. 67. Marc. XIV. 65. Io. XVIII. 22. XIX. 4. THEOD. BEZA, IO. PISCATOR et ERASMVS SCHMIDIVS; et Marc. XIV. 65. ραπισματα *bacillorum ictus* reddit BEZA, quem, quoad noſtrum inprimis Matthaei locum, refutat PETRVS FABER *lib. I. agoniſt. cap. XIX.* Et de eo ſane apertum ſatis eſt, per *alapas infligere* interpretandum το ραπιζειν eſſe, quoniam expreſſa ibi fit maxillarum mentio. In ceteris vero pariter, quod eodem ſenſu ſit accipienda haecce vox, affirmari nullus dubitauerim. Conf. b. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis philologicis et criticis, vol. I. pag.* 387. *et* 964. Attendendus vero circa illam ſunt linguae graecae pariter, ac ceterarum vſus atque conſuetudo. Dantur ſcilicet variae transferendi voces, a ſpeciali ad generalem et communem ſignificationem, rationes. Notat v. g. μεταλλαω et μεταλλευω ex prima impoſitione *metalla in terrae viſceribus ſcrutari*; ſed de cuiusuis tamen rei ſcrutatione, quocunque tandem modo illud fiat, vſurpatur. Sic verbum στεργω ex prima ſignificatione illum deſignat amorem, inter parentes liberosque qui deprehenditur; ſed cuiusuis tamen rei pariter amorem quoque indicat. Eſt ergo eadem vocis ραπιζειν ratio, quod ex prima ſcilicet impoſitione percuſſio-

cuſſionem, virgis vel crepidis peractam, ſignificet, deinde vero ad quamlibet translatum fuerit percuſſionem, quocumque demum modo, vel a quocumque etiam ſubiecto illa peragatur. Prouti vero in genere obſeruant graecae linguae periti, non, a genere ſi ad ſpeciem vocabulum transfertur, ſed, ad genus quando a ſpecie transferuntur vocabula,* emphaſin tribuendam eſſe vocibus: ſic de ραπιζειν idem quoque valet, cuius ſcilicet ſpecialis ſignificatio, *virgis caedere*, transfertur quoque quamuis ad percuſſionem. Dabimus eius rei exempla aliquot extantiora. Apud HERODOTVM v. g. *lib. VII. pag.* 397. ραπιζειν eſt *flagellis et loris caedere*, quod ex materiae ſubiectae clarum eſt ſignificatione. 3 Eſdr. IV. 30. de manibus vſurpatur ραπιζειν; additur namque τη αριστερα. Hoſ. XI. 5. dicitur ραπιζειν επι την σιαγονα, vti et Ieſa. L. 6. dari leguntur ραπισματα εις σιαγονας. PLVTARCHVS in *parallel. Rom. pag.* 267. παιειν επι κορρης et ραπιζειν tanquam ſynonyma coniungit, quorum illud phraſis Attica eſt, hoc in dialecto dicitur

* Sic μεταλλαω ſpeciem notat, nempe metallorum intimis in terrae viſceribus inueſtigationem, quae ſane non niſi moleſtiſſima eſſe agnoſcitur. Iam ſi ad alias res transfertur haecce vox, ſimul et eius vis ac emphaſis ad illos pariter transfertur, et, magna cum moleſtia coniunctam eſſe rerum talium ſcrutationem, indigitatur.

dicitur communi. Multae inde phraſes in ſacris noui foederis tabulis leguntur, numquam quae occurrunt apud ſcriptores Atticos; vbi de POLYBIO quoque, quem communi dialecto ſcripſiſſe ſua conſtat, idem iudicandum. LVCIANVS *tom. II. operum, pag.* 274. 277. το τυπτω et ραπιζω permutat; in ſpecie vero apud eundem de alapis inflictis aliquoties vſurpatur το ραπιζειν, e. g. *tom. IV. in dialogis meretriciis.* Simile quid obſeruatur etiam in noui teſtamenti libris ſacris. Quando enim Matthaeus euangeliſta capite noſtro V. comm. 39. verbo ραπιζειν vtitur, idem Seruatoris mandatum allegans Lucas cap. VI. 29. vocabulum τυπτειν vſurpat. Quod quidem ex iure quoque Romano illuſtrari poteſt. Notum eſt de Romanis, illos alapa inflicta ſolitos fuiſſe ſeruos dimittere. vid. *l. penult. et vlt. C. de emanc. lib. n. LXXXI. Claudianus de IV. conſ. Honor.* EDMVNDVS MERILLIVS in *notis nomico-philologicis in paſſionem Ieſu Chriſti, pag.* 15. THOMAS MARESCHALLVS in *obſeruationibus in euangeliorum verſiones perantiquas duas, Gothicam ſcilicet et Anglo-Saxonicam, pag.* 437. Quod hic *alapa* dicitur Romano iure, a Graecorum id Iureconſultis ραπισμα vocatur; hoc vero non Attice, ſed communi dialecto *alapam* ſignificat. conf. DANIEL HEINSIVS in *ariſtarcho ſacro, pag.* 940. SEB. PFOCHENIVS

de

de ſtilo noui teſtamenti, §. *XC.* PETRVS FABER *lib. I. agoniſt. cap. XIX.* et IACOBVS CVIACIVS *lib. V. obſeruationum et emendationum, cap. XIII.* Quicquid ergo in contrarium diſſerat THEODORVS BEZA, το ῥαπιζειν, quando in noui teſtamenti locis occurrit, *alapam infligere*, το ῥαπισμα vero *alapam* ſignificat. Adde HVGONEM GROTIVM et LVDOVICVM DE DIEV *ad Matth. XXVI.* 67. Conatur quidem hoc ex loco aſſertum ſuum confirmare *Beza*, vrgens, quod ibidem a τω κολαφιζειν diſtinguatur το ῥαπιζειν; et decepit hoc quoque eruditiſſimos viros. Sed obſeruanda contra hos eſt diſtinctio *colaphos* inter atque *alapas*. Ille ſcilicet pugno, manu haec explicata ſiue palma affligitur. Vid. praeter SVIDAM iam citatum, THEOPHYLACTVS *in Matth. XXVI.* 67. GERH. IO. VOSSIVS in *harmonia euangel. paſſionis, lib. II. cap. II. pag.* 196. Alia ratione *calaphum* ab *alapa* diſtinguere iubet CONSALVVS DVRANTES in *annotationibus ad S. Brigittae reuelationes*, a ſe anno ſuperioris ſeculi ſexto editas, *lib. I. cap. X.* illo dum collum percuti, alapa maxillam putat, teſtem citans LVDOLPHVM* *Saxonem* in *vita Chriſti, part. II. cap. LX.* Sed obſcu-

* Aliis is LEVTHOLFVS, vel corruptius LANDVLFVS audit. Vid. de hoc b. IO. ALB. FABRICII *bibliotheca latina mediae et infimae aetatis, vol. IV. pag. 847. ſeq.*

obſcuro vixit hicce teſtis ſeculo, quo iam de graecae aeque ac latinae linguae proprietate haud conſtabat. Diſtinguunt etiam vtramque vocem CAIVS VETTIVS AQVILINVS IVVENCVS, poeta ex quarto ſeculo chriſtianus, in *hiſtoria euangelica* rhytmice deſcripta, nec non CAELIVS SEDVLIVS, quinti ſeculi ſcriptor et presbyter, in *carmine paſchali*; quorum ille:

Tunc ſanctam Chriſti faciem ſputa improba complent,
Et palmae in malis, colaphique in vertice crebri
Inſultant.

hic vero:

- - - non denique paſſim
Vel colaphis pulſare caput, vel caedere palmis.

XVII.

GENES. XXXVI. 24.

Quid per הימים hic intelligatur, quos ANA in deſerto inueniſſe dicitur, cum fratris ſui aſinos paſceret, varie determinare interpretes conati ſunt, aliis *maria*, *aquas calidas* aliis, aliis *gigantes* ſubintelligentibus, quos recenſet IOAN. SAVBERTVS in *triga diſſi-*

difficiliorum ſcripturae ſacrae locorum, Helmſtadii anno MDCLXXI. ventilata, et recuſa in *palaeſtra theologico-philologica, pag.* 291. *ſeqq.* LXX. interpretes, vt et AQVILA et SYMMACHVS obſcuritate vocis videntur eſſe territi ipſamque ideo retinuiſſe vocem hebraeam. In hoc tamen diſcrepant, quod in ſingulari illi vertunt τον Ιαμειν, hi vero in plurali τους Ιαμειν. Multa et varia etiam ipſos inter Hebraeos de hoc loco diſputatum fuiſſe, HIERONYMVS teſtatur *in quaeſtionibus hebraicis in Geneſin*, plerosque tamen putare, addit, quod equarum greges ab aſinis in deſerto Ana hic, a Moſe commemoratus, primus fecerit aſcendi, vt mulorum inde noua contra naturam animalia naſcerentur. conf. R. SALOMON IONATHAN in *paraphraſi* et *Bereſchit Rabba ſect. LXXXII.* Ex recentioribus inprimis huic explicationi contradicit SAMVEL BOCHARTVS in *hierozoico, part. I. lib. II. cap. XXI.* cuius argumenta recenſet CHRISTIANVS STOCKIVS in *claue linguae ſanctae veteris teſtamenti*, voc. ימים. Ipſi vero non accedit, ſed cum IO. CHRISTOPHORO WAGENSEILIO *ad Sota cap. I. §. XXIX. num. VIII. pag.* 217. et, quem hic ſequitur, ABEN ESRA, potius herbarum aliquam, nunc parum cognitam, ſpeciem innui cenſet, quia minimis obnoxia ſit haec interpretatio difficultatibus. BOCHARTVM aeque ac WAGENSEILIVM refutauit

ſutauit AVGVSTVS PFEIFFERVS in *dubiis vexatis, centur. I. loc. LXV.* Iis, qui, de aquis calidis ſermonem hoc loco eſſe, autumant, ex recentioribus addi poſſunt FORTVNATVS SCACCHVS in *myrotheciis tribus ſacrorum elaeochriſmatum*, quod opus non indoctum altera vice Amſtelodami anno MDCCI. fol. excuſum fuit, *cap. XXVII.* et IO. SIMONIS, Gymnaſii Halenſis rector, in *arcano formarum nominum hebraeae linguae, pag.* 390. Quod ad rem attinet, obſcuritati huic, cum vox ימים, teſte SCHINDLERO in *lexico polyglotto*, alibi non occurrat, nec in hebraea, nec in vicinis linguis, affundi lux non poteſt, neque certa afferri illius interpretatio. Videntur tamen ii vero ſimillimam eligere, qui *mulos* denotari et a Moſe indicari exiſtimant, per admiſſionem ſiue aſini ad equam, ſiue equi ad aſinam (vtroque ſcilicet modo mulum gigni, PLINIVS teſtatur *lib. VIII. hiſtoriae naturalis, cap. XLIV.*) progenitos. Narrat enim tanquam rem mirandam et inſolitam Moſes hoc. Stagnum autem vel aquas calidas inueniri, adeo non eſt inuſitatum. BOCHARTO, nomen פרדים alias in ſacris literis et apud ceteros ſcriptores hebraeos mulis tribui ſolitum vrgenti, bene opponit citato loco PFEIFFERVS, quod duo dari queant vnius rei in vna lingua ſynonyma. Potuit namque nomen iſtud ימים, tanquam peregrinum,

grinum, animalibus hisce ab Horiis, quorum e prosapia Ana descendit, imponi Quod vero asinorum mentio hic non deprehendatur, studio forte a Mose factum est, ne modum, quo fuerint geniti muli, foedum scilicet, statim lector animaduertat. Praecipuos, quinam huic sententiae faueant, enumerat PFEIFFERVS *loc. cit. pag.* 168. quibus ex recentioribus celeberrimus Wittebergensis academiae theologus, CHRISTOPH. HENR. ZEIBICHIVS in *bibliis exegeticis*, ad h. l. addi poterit. Ab ipso Ana tamen e generis equini et asinini consociatione, ἐκ προαιρεσεως dataque opera primum, ceu a causa morali, productos non fuisse mulos hos, putat laudatus PFEIFFERVS *l. c.* et SEBASTIANVS SCHMIDIVS in *commentario in Genesin, pag.* 581. sed ex illis αυτοματως congressis progenitos, ab Ana vero obseruatos esse, censent. Cui sententiae nec vocabuli מצא repugnat significatio, quippe quod, vt exemplis CHRISTIANVS STOCKIVS in citata sua *claue vet. testam. pag.* 617. probat, in genere *inuenire* notat, siue simpliciter, siue modificate et certa ratione, siue res, quae inuenitur, antea exstiterit, siue minus.

XVIII.

GENES. VI. 2.

Vetus eſt, ſed longe erronea, tam Iudaeorum, quam Chriſtianorum, ſecutorum illos, quam plurimorum inprimis primitiuae eccleſiae doctorum opinio, e coelo delapſos angelos cum feminis rem habuiſſe. Ex hebraeis amplexi hanc ſententiam ſunt FLAVIVS IOSEPHVS atque PHILO; ex Graecis IVSTINVS, TATIANVS, PROCLVS, ATHENAGORAS; ex latinis TERTVLLIANVS, CYPRIANVS, LACTANTIVSque. IOSEPHI verba haec in *antiquitatibus Iudaicis, lib. I. cap. III. multi angeli Dei cum mulieribus congreſſi progeniem procrearunt inſolentem et fiducia roboris omne ius et fas contemnentem.* Sequitur eum etiam AMBROSIVS in libro *de Noa et arca, cap. IV.* Prolixe eam autem ſententiam refutarunt AVGVSTINVS *lib. XV. de ciuitate Dei, cap. XXIII.* et THEODORETVS *quaeſt. XLVII. in Geneſin.* Haereſin adeo pronunciauit eſſe PHILASTRIVS *de haereſibus, cap. CVIII.* ſi, angelos miſcuiſſe ſe cum feminis ante diluuium, et inde natos gigantes eſſe, quis aſſerat. Decepiſſe autem tale quid ſtatuentes male ſana huius loci interpretationem, quilibet videt; circa quem tamen explicandum meliores interpretes ita verſantur, vt

per

per *filios Dei* Sethi, per *filios hominum* Caini posteros intelligant. *Prius*, scribit CHRYSOSTOMVS *homil. XXII. in Genesin*, *docuimus vos*, *morem esse scripturae*, *vt homines filios Dei vocet. Et quia isti a Setho originem trahebant*, *et ab eius filio*, *qui appellatus est Enos*: - - *ab illo postea nati vocati sunt filii Dei in diuinis scripturis*, *propterea*, *quod eo usque parentum virtutem imitati sunt. Filios autem Cain*, *et qui ex eo nati*, *et qui ante Seth geniti fuerunt*, *filios hominum vocat.* Gigantes vero tam ante, quam post diluuium, ex generis nostri eiusdemque naturae parentibus progenitos fuisse, ibidem confirmant testimoniis suis antiqui patres. Vnde AVGVSTINVS *loc. cit. Verum hoc*, inquit, *mouet quosdam*, *quod ex illis*, *qui dicti sunt angeli Dei*, *et ex mulieribus*, *quas amauerunt*, *non quasi homines generis nostri*, *sed gigantes legimus esse natos*: *quasi vero corpora hominum modum nostrum longe excedentia*, *quod etiam supra commemoraui*, *non etiam nostris temporibus nata sint. Nonne ante paucos annos*, *cum Romanae vrbis*, *quod a Gothis factum est*, *appropinquaret excidium*, *Romae fuit femina cum suo patre et sua matre*, *quae corpore quodammodo giganteo longe ceteris praeemineret? Ad quam visendam mirabilis fiebat vsque quaque concursus. Et hoc erat maxime admirationi*, *quod ambo parentes eius*, *nec saltem tam longi homines*

erant, quam longiſſimos videre conſueuimus. Potuerunt ergo gigantes naſci, et prius, quam filii Dei, qui et angeli Dei dicti ſunt, filiabus hominum, hoc eſt, ſecundum hominem viuentium, miſcerentur: filii ſcilicet Seth filiabus Cain. Idem in *quaeſtionibus ſuper Geneſ. III.* ſequentem in modum: *de gigantibus, id eſt, nimium grandibus atque fortibus, puto non eſſe mirandum, quod ex hominibus naſci potuerint: quia et poſt diluium quidam tales fuiſſe reperiuntur, non ſolum virorum, ſed etiam feminarum.* De gigantibus interim eorumque reliquiis, ac de eiusmodi hominibus, qui prodigioſis viribus ad gigantum naturam accedere videntur, ſingularis exſtat liber IO. DE CASSANIO, Monſtrolienſis, anno MDLXXXVII. IO. GOROPIO BECANO oppoſitus. Habemus et de *Nephilim*, gigantibus vulgo dictis, exercitationem elenchticam THOMAE BANGII, quae IACOBO BOVLDVCO eſt oppoſita. Interim conferri hic poterunt, quae de gigantibus eorundemque oſſibus diſſeruerunt HERM. CONRINGIVS de *habitus corporum Germanicorum cauſis*; CASP. BARTHIVS *ad Claudianum, pag.* 204. et *lib. XLVIII. aduerſariorum, cap. XV.* IO. IACOBVS HERMANNVS in *centuria illuſtrium quaeſtionum, decad. I. quaeſt. VI.* MATTHAEVS HOSTVS, profeſſor Francofurtanus, in *inquiſitione in hiſtoriam Dauidis et Goliathi, cap. II. ſeqq.*

ATHA-

ATHANASIVS KIRCHERVS in *mundo* ſuo *ſubterraneo, lib. VIII. ſect. II. cap. IV.* HENRICVS KORNMANNVS *de miraculis viuorum;* SIMON MAIOLVS, Vultuarienſis quondam epiſcopus, *tom. I. dierum caniculariorum, colloqu. II.* IOANNES PINCIERIVS, medicus Marpurgenſis, in *otio Marpurgenſi, lib. IV. cap. XVIII.* IO. ISAACIVS PONTANVS, medicus et hiſtoriographus Danus, in *additamento ad rerum Danicarum hiſtoriae lib. I.* et STEPH. IO. STEPHANIVS, hiſtoriographus et profeſſor Soranus, in *praefatione ad Saxonem Grammaticum.*

XIX.

APOCAL. IX. 2.

Vocabulum αβυσσος ſaepius praetereunt cum SVIDA, qui vſitatum quidem illud eſſe perhibent, ſignificatum vero eius haud determinant, Lexicographi. Adhibuerunt illud interim ſcriptores Graeci paſſim, v. g. HERODOTVS *lib. III. hiſtor. pag.* 170. ARRIANVS in *hiſtoria Indica, pag.* 520. aliique. Dicitur etiam Graecis πελαγος, *pelagus, mare profundum,* item χασμα, *hiatus.* Adiectiuum autem nomen eſt, compoſitum ex αλφα priuatiuo et βυθος, *fundum, profundum;* pro quo HERODOTVS adhibuit βυσσος, quod Ionibus receptum eſt. Sunt,

qui a verbo βυω, *tego, obſtruo, impleo*, deducunt, το αλφα vero non priuatiue, ſed cumulatiue accipiunt, vt multitudinem inferat; quemadmodum in voce αξυλος, quae non deſignat *ligno carens*, ſed *ligno abundans*. Αβυσσον inde eadem ratione dici volunt, quaſi *valde coopertum*. Sed nimis eſt coacta haecce deriuatio. Quare rectius a βυθος vel βυσσος illud deriuari, oſtendi, ſignificans *fundo carens, immenſam profunditatem habens*. Licet autem adiectiuum ſit, ſubſtantiue tamen vſurpatur ſaepius, et a LXX. interpretibus Geneſ. I. 2. pro hebraeo תהום adhibetur, quod *mare* communiter ſignificat, in ſpecie tamen illam aquam, quae primo hexaemeri die a Deo creata terram, velut indumentum, cooperiebat. De mari vero adhibetur iſta vox, quoniam profundius illo χασμα in mundo hocce non reperitur. Metaphorice deinde omne id αβυσσος quoque dicitur, quicquid vel inueſtigari, ob nimiam profunditatem, vel exhauriri, ob maximam copiam atque abundantiam, nequit. Ita LVCIANVS *tom. III. operum, pag.* 148. de rebus ac negotiis difficilioribus et arduis loquens, πραγματα αβυσσου vocat, quod inexplicabilia quaſi illa ſint, ſi iis ſe quis immiſceat, captumque eius longe ſuperent. Cum qua loquendi ratione Dauid ferme conuenit, Pſalm. XXXVI. 7. iudicia diuina תהום רבה, *abyſſum magnam*, vocans,

vocans, eo quod illa occulta nobis, profunda ac perueſtiganda ſiue explicanda minus ſint. THEODORETVS Deum *αβυσσον αγαθων*, *abyſſum bonitatis*, nominat, quoniam immenſa atque inexhauſta prorſus bonitas ipſius ſit. Et congruit cum hac denominatione illa quoque, quam ſanctiſſimo noſtro Seruatori idem THEODORETVS tribuit, *αβυσσον φιλανθρωπιας* eum vocans, quod ipſius pariter erga mortalium, infauſto lapſu infeliciſſimorum, genus amor, abyſſi inſtar fundo carentis et plane inexhauſti, ſit. Nec emphaſi caret CHRYSOSTOMI ſcripturae ſacrae tributa denominatio, quando *αβυσσον ζητηματων*, propter abſtruſiſſima in illa expreſſa myſteria, quaeſtionibus anſam quae dant quamplurimis, eam ſalutat. vid. quae pluribus hanc in rem differit IO. CASP. SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico, tom. I. pag.* 10. *ſeqq.*

Satis inde clare patet, non ob phyſicam quandam localitatem, quaſi ſit in ima orbis parte aut terrae centro conſtitutum, ſed ob conditionem et ſtatum ſuum, ſecundum quem abiectiſſimum, horribilem maxime et abominandum, ac profundum adeo, vt in aeternum emergere exinde nequeant damnati, hoc nomine in ſacro codice venire ſpirituum hominumque damnatorum in futuro aeuo *που*, ſeu locum. Et quadrat optime

ad denotandum terribilem hunc ſtatum iſta vox, quoniam nimirum ſolent vel aſpectu ſolo horribiles eſſe terroremque incutere voragines immenſae ac profundae. Falſa vero eſt BELLARMINI traditio, quando *lib. IV. de Chriſto,* et *lib. II. de purgatorio,* in ima orbis parte, circa centrum terrae, collocat infernum, quem olim pariter *locum ſubterraneum* iam appellauit AVGVSTINVS. Quod et de CALVINO, BEZA, IVNIO, BVLLINGERO, aliisque illius eccleſiae doctoribus, iudicandum, qui infernum pariter, pro loco quodam phyſico profundo ac ſubterraneo, habent. Maior vero adhuc eſt CORNELII A LAPIDE amentia, quando in *commentario ad Matth. VII.* dimetiri infernum adeo non dubitauit, quaquauerſum longitudinem, latitudinem ac profunditatem MDC. ſtadia ſeu CC. milliaria Italica * eum capere contendens. Idem ferme cum illo ſentit IO. HENR. ALSTEDIVS in *ſumma quaeſtionum de conſcientia.* Nos iis, quae ſcriptura ſacra tradit, nitentes ſolum, nec vltra illam ſapientes, de exiſtentia inferni, quo in aeternum reſeruentur perennibusque cruciatibus puniendi aliquando poſt

* Quodſi iam XXX ſtadia quatuor milliaria Italica, haec vero vnum Germanicum efficiunt, quinquaginta milliaria Germanica capere dicenda eſſet, ex illius mente, inferni longitudo, latitudo ac profunditas. Quae, bone deus, ſomnia!

poſt ſeculi conſummationem ſint et ſpiritus et homines damnati, certi ſumus; ille vero vbi ſit, et quomodo comparatus, determinare nec poſſumus, nec geſtimus quoque; CHRYSOSTOMI ſecuti exemplum, qui interrogatus quondam: vbi ſit infernus? ſe ignorare illud, profeſſus eſt; quaerere, non: vbi ſit? ſed: quo euitetur modo? iubens, in *vltima in epiſtolam ad Romanos homilia.* Quod vero locus ſiue *που* certum et reale ſit, extra dubitationis vtique aleam eſt poſitum. Dicitur namque *τοπος βαθανου.* Luc. XVI. 28. Et licet Pontificii aeque ac Caluiniani, quando, in ſcriptura infernum certo definiri ipſique imam terrae partem deſignari, contendunt, phraſin vrgent, qua *deſcendere* in infernum impii dicuntur, et quando *abyſſus* ille vocatur, quaſi ſit immenſa profunditas et aliquod maxime imum; praeſertimque locum Pauli vrgent Epheſ. IV. 9. vbi de Seruatoris ad inferos deſcenſu, prouti de iſto illud effatum cum noſtratibus plerisque recte intelligunt, loquens apoſtolus hunc per inferiores terrae partes deſcribit; reuera tamen praeſidii inde lucrantur nihil. Quis enim hanc locutionem metaphoricam et tropicam eſſe non videt? aeque minus accipiendam proprie, ac quando manus, pedes, oculi tribuuntur Deo. Ratio verò, cur tali vtatur in deſcribendo inferno metaphora apoſtolus, facile

patet. Quoniam ſcilicet, infra nos quae dantur, contemta, horrida et ingrata nobis ſunt; ita ſtatum damnatorum ſimilem ſeu longe miſerrimum depingere quaſi locutione iſta voluit et ad captum noſtrum ſe accommodare Spiritus ſanctus. Eadem nempe ratione dicitur Deus habitare in excelſis, ad ſignificandam eminentem, qua ille gaudet, praeſtantiam; quoniam eximia, grata, iucunda ac praeſtantiſſima habentur nobis, quae ſunt ſupra nos, e.g. ſidera, ſtellae, coeli. Num interim hoc που damnatorum locus ſit creatus, an vero increatus? determinare minus audet IO. GERHARDVS in *locis theologicis, loc. de inferno;* quae tamen quaeſtio nulla videtur laborare difficultate. Reale namque aliquid eſſe illud που, certum eſt. Tunc vero vel creatum eſſe debet, vel increatum. Iam praeter Deum cum increatum dici nihil queat, infernum dici neceſſario creatum oportet. Accedit, quod paratus a Deo dicatur ignis infernalis. Matth. XXV. 41. Quando vero, ante omnes creaturas ceteras creatum a Deo illud eſſe, Caluiniani volunt, abſonum ſane id eſt aſſertum, poenam ante culpam ſtatuens. Nos tam circa tempus creati inferni, quam circa locum,* vbi ſit, determinare, ſilente ſcriptura,

* De hac quaeſtione late deducta legi, praeter ceteros, poteſt ERASMVS FRANCISCI in *dem vnfehlbahren Web der Ewigkeit, pag. 579. ſeqq.*

ptura, nihil poſſe, cum ſanioribus putamus. Differre autem το που damnatum a τω που beatorum, et extra hoc eſſe illud, aperte docemur Apocal. XXII. 15. vbi *foras eſſe* dicuntur impii damnati, nec non Io. XII. 31. vbi *foras eiiciendus* eſſe dicitur in mundi iudicio huius mundi princeps.

XX.

PSALM. XXXII. 9.

Difficillimus hic locus eſt, et conſtructione fere carens, tot particulis iuuandus, quo ſenſu commodo gaudeat. Ad verbum ita verti deberet: *Ne ſitis tanquam equus et mulus absque intelligentia, in freno et lupato* עדין *ad conſtringendum.* ARIAS MONTANVS in verſione interlineari reddit: *in freno et lupato maxillam eius ad conſtringendum epiſtomio;* conſtruens עדין cum voce לבלום, quia cum מתג conſtruere non poterat. Videbatur enim plane inuerſio totius rei eſſe, ſi quis diceret: *in freno et lupato maxilla eius,* cum frenum potius in maxilla ſit, non maxillà in freno. Quid ſibi velit ARIVS MONTANVS, quilibet quidem videt, at conſtructionem deſiderat. Vbi enim, quod ſupplet in freno et lupato, verbum? Vbi alibi accuſatiuus verbum praecedit? Genuina ſignificatio vocis עדי eſt *ornamentum,*

ornatus,

ornatus, vid. Exod. XXXIII. 4. quam retinuit etiam *Chaldaeus* interpres, qui vertit: *in camo et freno ornatus eorum* (eſt vel conſiſtit) *ad conſtringendum quoque*. *Syrus* quid pro quo reddidit, vertens: *quos freno domant a pueritia eorum*. *Graeci: in freno et camo maxillas eorum*, quam verſionem *Aethiops* ſequitur. *Arabs*, ne quid omiſiſſe videatur, et ora et maxillas coniunxit: *Et non trahuntur frenis, quae in oribus eorum. Sic reprime maxillas* (illorum) *qui non accedunt ad te*. Procul autem abeunt haec omnia a textu. Quare ſimpliciſſima et ad literam proxime accedens videtur ſalutanda expoſitio Chaldaica, ita ſenſum exprimens: *Ne ſitis ſicut equus et mulus, cui non* (eſt) *intellectus. Lupatum et frenum eſt ornamentum eius, quo conſtringitur, ne appropinquent ad te*. R. KIMCHI עדיו et Pſalm. CIII. 5. occurrens עדיך reddit per *os*, quia frenum, item ſaturatio conuenire ori putat. Sed aduerſatur hoc Chaldaeo interpreti, nec cum locis parallelis conciliatur. IO. BVXTORFIVS in *Lexico* quidem reddidit per *os*; in *Concordantiis* autem retinuit ſignificationem *ornamenti*.

XXI.

XXI.

Exod. IX. 15. 16.

Interpretatus locum hunc ita eſt SANTES PAGNINVS: *nunc enim miſſurus ſum manum meam, et percutiam te et populum tuum peſte, et ſuccideris e terra; et profecto ob id conſtitui te, vt oſtenderem tibi potentiam meam, vt qui narret nomen meum in vniuerſa terra.* Sicut hic in futuro vertit: *miſſurus ſum manum meam, percutiam, ſuccideris;* ita ſimilem in modum *LXX. interpretes, Vulgata, Tigurini* et LVTHERVS. Rectius vero reddidit verſio *Iunio-Tremelliana* verba iſta in praeterito: *modo extendi manum meam, percuſſiſſem etiam te* (vti hactenus pecus tuorum percuſſi, coll. comm. 3.) *et populum tuum peſte illa, ſic fuiſſes ſucciſus de terra. Veruntamen propterea feci, vt* reſtares, *vt oſtendam in te virtutem meam* etc. Probatur vel ideo maxime haec interpretatio, quoniam bina occurrunt in hebraeo textu verba, *extendere* nimirum et *percutere*, quorum alterum in praeterito poſitum comparet, alterum vero in formatione futuri legitur, cuius tamen poſterioris ſignificatio in praeterito eſt capienda, cum, pro praeterito quandoque futurum poni, conſtet, vti exemplis docuit SALOM. GLASSIVS in *philologia ſacra, lib. III. tract. III. can. XLIX.*

p. m.

p. m. 894. *ſeq.* Confirmat etiam interpretationem hanc ipſa hiſtoria. Cum enim peſtis, in numerum quintae plagae redactae, ſub initium capitis ſtatim fiat mentio, exinde de illa, tanquam de re praeterita, Moſen hic loqui, probatur. Et verbis ergo, et rei ipſi accommodatiſſima eſſe deprehenditur verſio Iunio-Tremelliana. Quod porro PAGNINVS reddidit: *ob id conſtitui te*, LVTHERVS: *darum habe ich dich erwecket*, IVNIVS iterum, licet Caluinianis ſacris addictus, transtulit: *feci, vt reſtares*, prouti iam olim LXX. interpretes reddiderunt διετηρηθης, *conſeruatus es.* Commode tamen, quae in hebraeo textu legitur, vox העמדתיך reddi poteſt ſimpliciter: *feci te ſtare*, aut *erexi te* ſcil. manu mea aduerſus ingruentes plagas. Vnde diuus etiam Paulus apoſtolus locum hunc Rom. IX. 17. citans, graeca voce εξηγειρα *erexi* vtitur, quam poſtea *excitaui* BEZA vertit, PAREVS autem *comment. ad iſtum locum* peſſime per *irritare peruicaciam alicuius* interpretari auſus eſt, contra quam explicationem vide diſſerentem ABRAHAMVM CALOVIVM in *bibliis illuſtratis* ad dictum locum. Cum IVNIO eandem amplectuntur interpretationem ex reformatae eccleſiae doctoribus PISCATOR, CAROLVS LE CENE in *ſpecimine nouae verſionis Gallicae*, Hagae anno MDCCV. in forma octuplicata gallico idiomate euulgato, alii-

aliique, quos pariter ac ex Pontificiis et noſtratibus nonnullos nominat praeſtantiſſimus quondam noſter WOLFIVS in *curis philologicis et criticis, vol. II. pag.* 190. *ſeq.*

XXII.

MATTH. II. 13.

Quemadmodum vberrima eſt Graecorum lingua, vocabulis redundans, ita ſingula etiam appellare nominibus diſtinctis ipſis datur, eiusmodi quamuis non ſemper obſeruetur diſtinctio. Liceat huius rei in exemplum varias conſiderare voces, quibus varias puerorum aetates diſtinguere Graeci amant. Commemorat eas EVSTATHIVS *ad Homeri Iliad. Θ. pag.* 727. notans 1) recens natum infantem dici βρεφος, 2) illum, quamdiu ab vberibus matris aut nutricis pendeat, παιδιον ſalutari, 3) eundem, fari quando atque ambulare incipit, παιδαριον vocari, 4) antequam ſcholas frequentet, παιδισκον, et 5) cum iam ſcholas adeat diſcereque incipiat, παιδα dici. Quamquam autem ita diſtinguantur a Graecis aetatis puerilis interualla, permutantur tamen ſaepius illa ſecum inuicem, vt v. g. παιδιον idem, quod βρεφος, deſignet, nempe infantem recens natum. Sic namque οι LXX. Moſen recens natum το παιδιον dicunt, Exod. II. 6.

Eodem

Eodem modo noſtro hoc loco, ad quem de iſta differentia dicendi nata mihi eſt occaſio, Seruator noſter recens natus etiam παιδιον vocatur. Lucas cap. XVIII. 16. vocat eos παιδια, quos comm. 15. τα βρεφη vocauerat. Deprehenduntur eadem deinde apud profanos pariter ſcriptores. LVCIANVS e. gr. in dialogo, qui *Alcion* inſcribitur, *tom. I. operum, pag.* 145. primo vocat τα βρεφη πεμπταια, infantes quinque dierum, et δεκαταια, decem dierum, quos tamen mox παιδια ſalutat; prouti et DIODORVS Siculus *lib. II. bibliothecae* ſuae, *pag.* 65. commemorat παιδιον ενιαυσιαιον, puerum anniculum. Imo ARISTOTELES *lib. VII. ethicorum, cap. V.* embryones adeo, ſeu infantes in vtero materno latentes, παιδια dicit. Conf. etiam APOLLODORVS *lib. III. bibliothecae, pag.* 247. et DIODORVS Siculus *loc. cit. lib. V. pag.* 233. De voce βρεφη conf. GODOFR. VOIGTII tractatus *de fide infantum baptizatorum,* Wittebergae anno ſuperioris ſeculi LXVI. in 8. editus, *ſect. III. cap. I. §. III. pag.* 59. *ſeq.*

XXIII.

MATTH. XVIII. 6.

Graecum vocabulum πονтος, vti latinum *pontus,* proprie et generaliter omnem pela-

pelagum designat; in specie vero et κατ εξοχην Euxinum in Thracia, mare prope Constantinopolin, vocarunt ita Graeci, non ac si mare illud esset maximum ideoque hoc nomine tanquam singulari praerogativa appellari mereretur, sed quoniam mare hoc maius ignorabant Graeci. Ipse STRABO *lib. I. geograph. pag.* 19. et EVSTATHIVS *in Homerum* passim eam retinent vocis πονΤος distinctionem ac determinationem. Iis vero se opponit SVIDAS in *lexico, voc.* πονΤος, significationem eius plane inuertens, et in genere illum pontum, siue mare Euxinum, specialiter vero omne mare denotare obseruans; cuius tamen auctoritas STRABONIS fide maior non est.

Descendunt inde verba πονΤιζω, καΤαπονΤιζω et καΤαπονΤοω, *in mare demergo, submergo*, de quauis re quae dici solent. De naui namque, quae demergitur, vsurpantur Matth. XIV. 30. Apud HERODOTVM *lib. IV. cap.* 154. ferri candentis massa dicitur καΤαπονΤιζεσθαι. Inprimis vero supplicii iis quoddam genus indigitatur, quo in profundum maris apud Graecos, Romanos aliasque gentes demergi fontes solebant. Sic illius SOPHOCLES in *electra, vers.* 509. meminit; qua eadem poena Etearchum quoque, Cretensium regem, filiam suam impudicitiae suspectam, et Cambysen, Per-

ſarum regem, fratrem ſibi inſidias ſtruentem, affeciſſe, ex hiſtoria conſtat. vid. HERODOTVS *lib. III. cap. XXX.* Saepius etiam a DIODORO Siculo iſta commemoratur. Pro clementi autem hoc ſupplicium habuiſſe POLYBIVS videtur *lib. II. hiſtor. pag.* 203. quando *non aliud grauius,* ſcribit: *ſupplicium perpeſſus, quam quod demerſus eſt in mare.* Syros etiam, chriſtianos martyres ſubire illud, iuſſiſſe, EVSEBIVS *lib. VIII. hiſt. eccleſ. cap. III. et XII.* teſtatur. Romanis frequens erat, quo prae ceteris puniebantur parricidae; licet CICERO in *oratione pro Roſcio Amerino,* calumniatores quoque, criminis eius conuictos, affectos illo eſſe, tradat. Auxit vero id deinde Pompeius, qui in culeum mitti hoc ſupplicio afficiendos, et canem, gallum, ſimiam viperamque* ſimul in eundem inſui iuſſit; vnde *lex*

* Vipera cur addita fuerit Pompeii iuſſu, rationem hanc nonnulli addunt, quoniam ſignum ſit ingrati erga parentes animi. Dicunt namque, maſculum viperam cum femella ſua coire ita, vt in os femellae maſculus caput ſuum inferat, illam vero prae nimia, quam ex coitu ſentiat, voluptate huic caput amputare, quam ingratudinem catelli deinde viperini vlſciſcantur. matri ſuae viſcera radentes atque corpus perforantes. Sed mera haec eſt fabula, cuius forte primus videtur auctor fuiſſe HERODOTVS *lib. III. cap. CIX.* quam deinde reliqui, ab HERODOTO decepti, huius auctoritate niſi, iterum tradideruut, v. g. NICANDER,

lex iſta *Pompeia* dicta fuit. vid. GVIDO PANCIROLLVS in *theſauro variarum lectionum,*

DER, poeta Graecus, in *theriacis, verſ. 130.* AELIANVS in *hiſtoria animalium, lib. I. cap. XXIV.* CLAVDIVS GALENVS in *libro de theriaca ad Piſonem, cap. IX.* et PLINIVS in *hiſtoria naturali, lib. X. cap. LXII.* Cautiores tamen alii ſunt, non pro vero, ſed tanquam aliorum ſententiam id narrantes, e. g. APVLEIVS in *apologia, pag. 327.* qui addit: *vt audio* etc. PRVDENTIVS *poemate I. verſ. 588.* BASILIVS, cognomine magnus, in *hexaemero, homil. IX.* EPIPHANIVS *haereſ. XXVI.* PLVTARCHVS *tom. II. operum, pag. 508.* ISIDORVS *lib. XII. cap. IV.* CHRYSOSTOMVS *in Matth. III. homil. XI.* et *in Matth. XVII. homil. LVIII.* THEOPHYLACTVS *in Matth. III.* ATHANASIVS *tom. II. operum, pag. 397.* ISIDORVS PELVSIOTA *lib. I. epiſt. CV.* et LVDOVICVS COELIVS RHODIGINVS *lib. VI. lectionum antiquariarum, cap XIII.* Quae enim de modo coeundi huius animalis tradit iſta fabula, experientiae aduerſantur anatomicae, cum ad vterum nullus prorſus per os ſit aditus. In partu vero quando aſſeritur, quod vterum corpusque matris catuli perforent, ſatis iam hoc refutatum fuit ab APOLLONIO, de quo vid. PHILOSTRATVS in *vita Apollonii, lib. II. cap. VII. ſeq.* nec non a IO. PIERIO, Valeriano, in *hieroglyphicis, lib. XIV.* GERH. IO. VOSSIO *lib. IV. de origine et progreſſu idololatriae, cap. LII.* GEORGIO AGRICOLA *de animalibus ſubterraneis, pag. 496.* et IO. SPERLINGIO in *inſtitutionibus phyſicis, lib. VIII. cap. VIII. quaeſt. I.* Vt fabulam, traditionem iſtam exponit SAMVEL BOCHARTVS in *hierozoico, part. II. lib. III. cap. I. pag. 363 ſeq* Partum viperarum difficilem quidem eſſe, ſuperſtite tamen matre, ſtatuit EDVARDVS LEIGH in *critica* ſua *ſacra,*

num, lib. II. cap. CCXXXVI. PETRVS FABER in *ſemeſtribus, lib. II. cap. VII.* IOAN. MICH. DILHERRVS in *diſſertationibus academicis, tom. I. pag. 705.* MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS in *quaeſtionibus Romanis, quaeſt. XXXVI.* BENEDICTVS CARPZOVIVS in *practica rerum criminalium, part. I. quaeſt. VIII. §. IX.* ceterique ſcriptores, quos de hoc ſupplicii genere allegauit b. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis philologicis et criticis, vol. I. pag. 272.*

At vero de Hebraeis, num illis quoque cognitum illud fuerit? inter eruditos quaeritur.

---

cra, part. II. p. m. 137. b. Sunt, qui ARISTOTELEM in *hiſtoria naturali, lib. V. cap. vlt.* anſam errori iſti praebuiſſe volunt; ſed accurate ſatis haud explicantur ab illis verba ARISTOTELIS. Rectius *loco* ſupra *citato* occaſionem illi dediſſe HERODOTVS putatur, ab Aegyptiis procul dubio deceptus, qui, vxorem marito inuidam ac ingratam itemque parricidam depicturi, per viperam id fecerunt. vid. HORAPOLLO, ſiue, vt ſcribunt alii, HORVS, *lib. II. de hieroglyphicis Aegyptiorum, cap. LIX. ſeq.* Qui fabuloſam hanc de partu viperae ſententiam pro vera venditant, Romanorum, quos in culeum cum parricida ob ſupra dictam rationem immittere viperam ſolitos fuiſſe commemoraui, obiicere auctoritatem ſolent. Sed reſpondit huic iam obiectioni VOSSIVS *loc. cit.* rei familiaris ac militaris magis, quam naturalis ſcientiae, gnaros illos fuiſſe, obſeruans. Vnde OVIDIVS *lib. III. faſtorum, verſ. 103. ſeq.*

Qui bene pugnabat, Romanam nouerat artem;
Mittere qui poterat pila, diſertus erat.

ritur. Meminit quidem in noſtro diui Matthaei loco eius ſanctiſſimus Seruator, ſed nulla fit illius in Iudaeorum tam veterum, quam recentiorum ſcriptis mentio. Quatuor tantum numerantur in libro *Sanhedrin, cap. VII.* capitalia ſupplicia: lapidatio, viuorum combuſtio, decollatio et ſtrangulatio, ſiue ſuſpenſio. HIERONYMVS *ad h. l.* ſcribit: *Secundum ritum prouinciae loquitur* (Seruator) *quia maior criminum iſta apud veteres Iudaeos poena fuit, vt in profundum maris ligato ſaxo iacerentur.* Cum quo conſentiunt ERASMVS et DAN. TOSSANVS in *comment. ad h. l.* nec non CHRISTOPHORVS PELARGVS in *quaeſtionibus et reſponſionibus ad Matthaeum, pag.* 184. Rectius vero ſentiunt IO. MICH. DILHERRVS *loc. cit.* IO. DRVSIVS in *praeteritis, ad h. l.* et HVGO GROTIVS in *notis ad h. l.* tanti fidem HIERONYMI minus habentes.

Diſtinguit inter modum ſupplicii ISAACVS CASAVBONVS in *notis* ſuis *ad h. l.* aliumque vult fuiſſe illum apud Hebraeos, alium apud Graecos. Illos ſaxum collo ſontis alligaſſe, hos in plumbeum vas conieciſſe eum contendit. In quo eum ſequuntur ERASMVS SCHMIDIVS in *annotat. ad h. l.* et DANIEL FESSELIVS in *aduerſariis ſacris, tom. II. lib. VI. cap. V. pag.* 68. Ad probandam hanc diſtinctionem ſuam ex

ATHENAEI *lib. XIV.* adducit locum CASAVBONVS, vbi in vas plumbeum iniectus quis et demerſus ita fuiſſe dicitur. Sed aduerſatur ipſi, quod nec res, nec rei modus in vllo ſcriptorum Iudaicorum reperiatur, imo alii quoque praeter Iudaeos populi morem hunc alligandi collis demergendorum pondera ſeruauerint. Poſterius v. g. teſtatur *Scholiaſtes* ARISTOPHANIS in comoediam, quae *equites* inſcribitur, vbi Graecos etiam demergendorum collis alligaſſe pondera tradit. Legantur verba eius apud GROTIVM *loc. cit.* Εις Φορμους poſitos illos fuiſſe, PLVTARCHVS in *oraculo Pythico* ſcribit; imo ſaccis inſutos eosdem fuiſſe, ipſe narrat ATHENAEVS *lib. X.* conf. CASAVBONVS in *notis ad Suetonii lib. II. pag.* 96. Quare vana eſſe cognoſcitur haec illius inter rem et rei modum allata diſtinctio.

Liberius quid fingere, quam tacere prorſus, maluit IO. LIGHTFOOTVS, Seruatorem hic ad ſubmerſionem in mari mortuo, quae absque pondere appenſo fieri non poterat, alluſiſſe contendens in *horis* ſuis *hebraicis et talmudicis, ad h. l.* Conſtat namque, mare hoc ob innatans bitumen cortice quaſi veſtitum ita fuiſſe, vt viuum demergi in eo nihil poſſet, ſed quod iniiceretur non, niſi onere lapidum grauatum, mergeretur. LIGHTFOOTO adſtipulatur doctiſſimus ali-

as

as academiae Iuliae professor, HERMANNVS VON DER HARDT, qui in *exegesi difficiliorum quatuor euangelistarum*, MS. ad nostrum locum scribit: *Submersio refertur pro more consueto ad vicinum mare mortuum, in quod proiici dicebantur res abolendae.* Verum nusquam in antiquitatis Iudaicae scriptoribus, hoc modo submersum fontem quendam in mari mortuo fuisse, traditur. LIGHTFOOTVS quidem, non proprie hic, ac si reuera quis in mare istud iniici solitus fuerit, sed metaphorice locutum Seruatorem esse contendit, ita, vt indicare is voluerit, reiiciendum talem hominem et eliminandum ex omni hominum consortio esse; adeoque phrasiologia ista Iudaeis recepta notatam fuisse abiectionem totalem, odium summum ac execrationem, qua quis deuouebatur, putat. Sed et contrariatur huic eiusdem limitationi ipse Seruatoris sermo, qui non indicare voluit, satius esse, vt execrabilis et omnibus odio quis sit, quam vt ex paruulis quendam offendat; potius hoc scopi loco habuit, docere, quod exquisitissimas duriſſimasque poenas (quarum e numero submersio in aquam) perferre praestet, quam vel vni ex eiusmodi paruulis esse offendiculo.

Licet ergo in publicis atque ordinariis Iudaeorum iudiciis non fuerit vsitatum id

ſupplicii genus, idcirco tamen prorſus ignoratum huic genti fuiſſe non videtur affirmandum. Poterat ſcilicet ex vicinarum gentium, a quibus paſſos illud Iudaeos fuiſſe, 2. Maccab. XII. 4. legitur, vſu notum ipſis eſſe. Diſtingui autem debere inter publica ordinariaque iudicia, quae a magiſtratu et perſonis, publica auctoritate ad punienda ſcelera conſtitutis, infligebantur, et inter extraordinaria ſupplicia, a concitata plebe huic vel iſti inflicta, nemo ibit inficias. Exemplum poſterioris generis ipſe praebere poteſt ſanctiſſimus Seruator, cum furioſa Iudaeorum plebs de ſaxo praecipitem ipſum dare conaretur. Luc. IV. 29. Quod ſi vero prorſus etiam ignotum fuiſſet, ex verbis tamen Seruatoris facile intelligi res tota poterat, quam indicare animus ipſi erat.

XXIV.

2. Timoth. II. 22.

Quando fugere hic τας νεωτερικας επιθυμιας a Paulo Timotheus iubetur, vox νεωτερικος a plerisque interpretibus, tam veteribus, quam recentioribus, exponitur *iuuenilis*; quae et interpretatio reperitur in gloſſariis et vulgatis lexicis. Accipitur ita quoque vox haec ab auctore *conſtitutionum apoſtolicarum II.* 1. Νεωτερος, a quo νεωτερικος

ερικος deſcendit, vti conſtat, comparatiuus του νεος, *nouus*, *iuuenis*, eſt, ſaepius vero citra habitum ad comparatiuum reſpectum abſolute notat, vtramque vocabuli νεος ſignificationem retinens, et *nouum* et *iuuenem*; vti Athenienſes e. g. communiter alloqui ſe inuicem ſolebant: τι νεοτερον; *quid noui?* Iam quaeritur: num vtrumque ſignificatum retineat etiam νεωτερικος? Gloſſaria ſi conſulamus, illa aetatis tantum ac iuuentutis ſignificationem iſti tribuunt, vt iuuenilis dicatur, qui paucos adhuc annos attigit viuendo, et ſeni opponatur. conf. CONR. GESNERI *lexicon graecum*, in hac voce. Quare in noſtro Pauli loco a *Syro*, *Arabe* et *Aethiope* illa vox exponitur per *iuuenilis*; a *Vulgato* per *deſideria iuuenilia*; a BEZA per *cupiditates iuueniles*, prouti et CHRYSOSTOMVS, THEODORETVS, THEOPHYLACTVS, OECYMENIVS ac recentiores plerique, per *cupiditates ac deſideria iuuenilia* vertunt. vid. IO. ANDR. BOSII habita *in h. l.* Ienae anno MDCLXXIII. *diſputatio*, quam recuſam ob oculos habeo ad calcem *introductionis* eius *in notitiam ſcriptorum eccleſiaſticorum*, *pag.* 428. *ſeqq. cap. I.* De eo tamen inter ſe minus interpretes conueniunt, quid per has iuueniles cupiditates deſignetur ab apoſtolo. In exceſſu quidem peccarunt, πασαν επιθυμιαν ατοπον prohiberi hic putantes. Quod ex graecis v. gr. fece-

runt CHRYSOSTOMVS, et, qui eum ſequi plerumque ſolent, THEOPHYLACTVS atque OECVMENIVS *ad h. l.* ex latinis AMBROSIVS, vel (quem illius commentarii, qui ſub AMBROSII nomine in omnes epiſtolas Paulinas circumfertur, rectius auctorem nominant) HILARIVS *in h. l.* Nec enim opus fuiſſet, vt vocem *νεωτερικὰς* addidiſſet apoſtolus, ſi de omnibus prauis cupiditatibus ac deſideriis fuiſſet ipſi ſermo. In defectu contra peccare putandi ſunt, qui tantum de gloriola ſeu vano gloriae ſtudio, quale ſolet eſſe iuuenibus propria, exponunt, e. gr. THEODORETVS et CORNELIVS A LAPIDE *in h. l.* vid. IOAN. CASP. SVICERI *theſaurus eccleſiaſticus, tom. I. pag.* 1167. Vnde inter has ſententias media ita optime via eligitur, vt intelligantur vitioſa deſideria omnia ac affectus cupiditatesque ſiue vitia, quae deprehendi in aetate iuuenili ſolent, varia ſane ac plurima, curioſitas nimirum, aemulatio, ſuperbia, ambitio, iactantia, iracundia, rixandi ſtudium, impatientia, temeritas, vanae gloriolae et quaeſtionum inutilium ſtudium, eruditionis ſingularis opinio, et quae ſunt his ſimilia. Confirmatur haec interpretatio tum ex vſu graece loquentium; tum ex iis inprimis, quae in contextu verborum vitiis his nominatis opponuntur, virtutibus. Licet autem, quod ſupra monui, gloſſaria voci *νεωτερικὸς* ſigni-

ſignificatum *iuuenilis* tantum tribuere ſoleant, BOSIVS tamen *loc. cit. cap. V. §. II. et IV.* IOSEPHI adducit et GELLII loca, quorum ille *αυταδειαν νεωτερικην*, *arrogantiam iuuenilem* commemorat, hic *verſum Virgilii νεωτερικως*, id eſt, *iuuenili quadam audacia et temeritate prolatum* eſſe pronuntiat. Quorum ex auctorum vſu patet, *iuuenilis* eſſe ſignificatum, *τω νεωτερικος* vindicandum, praeſertim vbi de vitiis ſermo, vti in duobus iſtis auctorum citatorum locis. Suadet vero hanc interpretationem ipſe etiam verborum Pauli contextus. Commendat is in verbis immediate ſequentibus Timotheo fidem, charitatem, pacem, vtque detractet ſtultas inutilesque quaeſtiones, cum monet, eo quod, illos gignere ſaltem lites, probe ſciat; iubet eum eſſe manſuetum erga omnes etc. v. 22. 23. 24. Iam his virtutibus quae ſunt oppoſita vitia neceſſario praecipere vitanda Timotheo apoſtolus debet, ex ipſa textus *συναφειᾳ*. vid. BOSIVS *loc. cit. cap. VII.* et, qui *νεαζουσας επιθυμιας* vocat, auctor *Clementinorum* apud COTELERIVM *I. Apoſtol.* Minus recte ergo a SALMASIO, WANDALINO et SCHLICHTINGIO vrgeri ſignificationem, qua *nouarum rerum cupiditates* vetitae hoc loco dicuntur, euictum dedit in iſta ſua exercitatione doctiſſimus BOSIVS. Conf. *eiusd. epiſt. ad Thomam Reineſium, pag.* 272. et huius ad illum *epiſt.*

pag.

pag. 275. *ſeq.* Illis vero, qui in IGNATII *ad Magneſios* data *epiſtola* putant epiſcopi vnius ſupra presbyteros eminentiam vocari νεωτηρικην ταξιν, a BOSIO pariter notatis, addi etiam debet LVDOVICVS CAPELLVS in *theſibus de epiſcopi et presbyteri diſcrimine, pag.* 607. Νεωτεριστικην a verbo νεωτεριζειν dicendum eſſe monet IO. PEARSONIVS in praefatione, *vindiciis* ſuis *epiſtolarum S. Ignatii*, anno MDCLXXII. editis, praemiſſa.

XXV.

GENES. XIX. 26.

Fabulis iam olim annumerarunt hoc impii quidam, quibus vero ora obturauit PHILO *libro de profugis*. R. ABEN ESRA, ignea pluuia, ſulphure et ſalſugine mixta, accenſam mulierem, et ſic in ſalem mutatam obriguiſſe, putat. Sed, magno conatu magnas egiſſe eum nugas, recte iudicarunt viri docti. Opinantur alii, ſalis ſtatuam appellari, non, quod re vera ex ſale concreuerit, ſed quod ſimilitudinem ſalis habuerit, adeoque metaphorice ita dici volunt propter incorruptibilitatem et perpetuitatem. Hinc IO. BODINVS *lib. V. de republica, cap. VI. pag.* 962. *Hebraei*, ſcribit, *firmiſſimas ſocietates appellant foedera ſalis, id eſt, ſempiterna; quia nihil eorum, quae concreta ſunt ex elementis,*

ſale

ſale incorruptius eſt: vt eodem ſenſu ſacrae literae ſtatuam ſalis appellant, non, quae ex ſale concreuerit, vt quidam valde inſulſi putant, ſed quae ſempiterna ſit futura. Ipſe quoque Megalander noſter LVTHERVS eo inclinat in *comment. in Geneſin, ad h. l.* addens, non diu tamen eam perſtitiſſe, verum cum vrbe Zoar a tonitru contritam euanuiſſe. Rectius ſapiunt, qui, vere in ſalis ſtatuam, lapidem vel cumulum columnae formam prae ſe ferentem, ſingulari Dei nutu, mirabili modo fuiſſe transmutatam, dicunt. Mutationis huius modum ignoramus: quamquam AVGVSTINVS in *libro de mirabilibus ſcripturae* autumat, Deum, quicquid ſalſuginis in corpore fuerit, lacrimas ſcilicet, ſudorem, phlegma, ſputumque in totam eius ſubſtantiam traduxiſſe, idque hoc pacto adeo infeciſſe, vt in ſalem penitus transformatum ſit. Ridiculi ſunt inter alias conuerſionis huius cauſas iſtam etiam proferentes Iudaei, quod modicum ſalis Lotho ad hoſpites in domum receptos comiter tractandos negauerit. Strepitu pluuiae ſulphureae pereuntiumque clamore perterritam retroſpexiſſe, alii putant; vti timoris vehementiae alii tribuunt, ne ipſa quoque incendio corriperetur, nonnulli curioſitati. Plures cauſas coaceruat CLAVDIVS MARIVS VICTOR, Maſſilienſis, *lib. III. in Geneſin:*

- *Quin*

- Quin etiam Loth, heu miſerabilis vxor,
Seu tanto ſtupefacta metu, ſeu ſtulta cupido,
Illa fuit, vetitum contra conſurgere pactum,
Feminis innata animis, quae denique cunque
Cauſa fuit: Sodomam inſpectans ſe pone ruentem
Confeſtim poenas violata lege ſubiuit,
In ſtatuam coniuerſa ſalis, ſpoliataque luce
Sic animam infelix cum corpore perdidit omni,
Vt nullum exſtaret forma remanente cadauer.

Nobis et diuini praecepti violatio, et praeposterum terrenorum deſiderium in cauſa fuiſſe videtur, ob quam graue ita ſupplicium ſubire iuſſa illa fuerit. Conf. Luc. XVII. 32.

FLAVII IOSEPHI tempore adhuc ſuperfuiſſe illam ſtatuam, ex ipſius *antiquitatibus Iudaicis, lib. I. cap. XII.* patet, vbi: *Lothi vxor inter abeundum,* ſcribit, *ſubinde ad vrbem reſpiciens, et curioſius cladem hanc contra mandatum Dei ſpectans, in ſtatuam ſalis eſt verſa. Dictum eſt mihi iam de illa: nam exſtat hodie. Targum Hieroſolymitanum* hanc in rem, PAVLO FAGIO interprete, ſic: *Eo quod vxor Lothi fuit de filiis filiorum populi Sodomae, reſpexit poſt ſe, vt videret, quid-*

quidnam futurum eſſet cum domo patris ſui: atque ita factum eſt, vt facta ſit columna ſalis, duratura usque ad tempus reſurrectionis, quo mortui reuiuiſcent. IRENAEVS *lib. IV. cap. V.* de ſtatua hac tradit, quod, quantum a viatoribus curioſis tranſeuntibus decutiatur, tantum breui ſuccreſcat. Confirmat idem etiam TERTVLLIANVS *libro de Sodoma, cap. III.*

In fragilem mutata ſalem ſtetit ipſa ſepulchrum
Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſeruans.
Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub aethram,
Nec pluuiis dilapſa, ſita, nec diruta ventis.
Quin etiam ſi quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſta vulnera complet.

Cui et PRVDENTIVS concinit in *hamartigenia:*

Liquitur illa quidem ſalſis ſudoribus vda:
Sed nulla ex fluido plenae diſpendia formae
Sentit deliquio; quantumque armenta ſaporum
Attenuant ſaxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritamque cutem per damna reformat;

nec

nec non BENIAMIN Tudelenſis in *itinerario*, vbi: *Ex monte*, inquit, *oliuarum Sodomiticum mare conſpicitur: a mari vero illo ad cumulum ſalis, in quem Lothi vxor conuerſa eſt, duae leucae ſunt: Conſtat enim adhuc cumulus ille, qui a gregibus aliquando lambendo imminuitur, denuo ad priſtinam creſcit molem.* Conf. et SEDVLIVS, cuius verba leguntur in IO. BAPT. OTTII *ſpicilegio, ſiue excerptis ex Flauio Ioſepho ad noui teſtamenti illuſtrationem, pag.* 169. aliaque patrum loca, obuia in PAVLI COLOMESII *obſeruationibus ſacris, pag.* 108. Aliorum, idem qui fuerunt teſtati, meminit IO. IAC. SCHVDTIVS in *compendio hiſtoriae Iudaicae, pag.* 323. Fabuloſis vero, hiſtoriae huic addi ſolitis, narrationibus recte id annumerat HERMANNVS WITSIVS in *miſcellaneis ſacris, tom. II. pag.* 195. *ſeq.* conſentientes hac in re plures ſanioris naſi habens. Quod enim ad IOSEPHI praecipue, teſtis maxima ſorte fide inter ceteros adductos digni, teſtimonium attinet, illius quidem auctoritas tanti eſt OTTIO iam commemorato *loc. cit.* vt ferme, ipſo aſſeuerante iſtius ſtatuae durationem, pro vera habeat narrationem hanc. Ita namque ille: *Vero ſimile non eſt, quod ſtudio decipere voluerit,* (IOSEPHVS ſcilicet) *ab omnibus enim mendacii coargui potuiſſet, cui bono tam longam ſtatuae durationem excogitaſſet?* Rectius tamen, IOSEPHO,

PHO, tacente hanc rem diui Moſis hiſtoria, fidem habendam eſſe, negat reuerendus CHRISTOPH. WOLLIVS in diſſertatione erudita *de ſingulari facto ac fato vxoris Lothi*, Lipſiae anno MDCCXXX. habita, §. *XVII.* addens: *ſi verbum* ἱστορεῖν (quod legitur in citato IOSEPHI loco, et de quo dubii haerent interpretes, num hic *hiſtoriam contexere*, an vero *oculis ſuis videre* ſignificet? cum vterque illi competat ſignificatus) videre *hoc loco ſignificat, potuit is quidem aliquod vidiſſe monimentum, quod eiusmodi columnam referret, et quod hominum traditione pro iſta ſtatua venditabatur, ſed inde nondum conficitur, fuiſſe hanc ſtatuam reuera eandem, in quam Lothi commutata fuit coniux. Nolumus igitur miracula temere augere. Nam in Moſis hiſtoria* (ita paulo ante WOLLIVS) *nihil ea de re habetur, resque omnis fide caret hiſtorica.* Pluribus conferri ad hunc Moſis locum merentur ſcriptores a CHRISTOPH. HENR. SCHETELIGIO in *bibliotheca* ſua *diſputationum in V. et N. T. part. I. pag. 63. ſeq.* et IO. CHRISTOPH. WOLFIO in *curis philologicis et criticis, vol. I. pag. 717. ſeq.* allegati. Addatur illis IO. CASP. LOESCHERVS in *obſeruationibus ſelectis, faſcic. II. pag. 88. ſeqq.* et maxime reuerendo CHRISTOPHORO AVGVSTO HEVMANNO oppoſita epiſtola BOEDECKERI, Profeſſoris Sueci, quae legitur in *den Hamburgiſchen Beyträ-*

gen, Anni MDCCXL. pag. 609. *ſeqq.* Celeberrimo vero WOLLIO ſingulari obſeruatione dubia quaedam mouit reuerendus GOTTLOB FRIDERICVS GVDIVS, quae occurrit in *den nützlichen Anmerckungen über allerhand Anmerckungen aus der Theologie, Kirchen- und Gelehrten-Hiſtorie,* a beato IO. CHRISTOPH. COLERO euulgatis, in *der III. Sammlung, pag.* 414. *ſeqq.*

Id ſingulare eſt, quod ſcribit in *protreptico* CLEMENS Alexandrinus, poetis Niobem eſſe vxorem Lothi. De hac autem Amphionis, Thebanorum regis, coniuge, filiaque Tantali, fabulantur poetae, quod foecundiſſima mater ad orbitatem redacta per Apollinem et Dianam, qui filios filiasque omnes ſagittis confixerant, prae nimio moerore in ſaxum fuerit conuerſa. Vid. HOMERVS *Iliad.* ω. ARISTOTELES *lib. VI. ethicorum ad Nicomachum, cap. IV.* §. *IX.* SOPHOCLES in *Antigone* et *Electra*; CICERO *lib. III. Tuſculanarum quaeſtionum*; PAVSANIAS in *Atticis*; SENECA Tragicus in *Hercule furente*, et *Oetaco*, item in *Agamemnone*; AVLVS GELLIVS *lib. XX. noctium Atticarum, cap. VI.* et AVSONIVS *epitaph. XXVII.* Pari modo de Orpheo fingunt, cum ad inferos deſcendiſſet, repetiturus Eurydicem ſuam, quod, cum reſpexiſſet, illa ſit retracta. Fabulam vide apud VIRGILIVM *lib. IV.*

IV. Georgicorum; SENECAM in *Hercule furente,* aliosque.

XXVI.

GENES. XLI. 42. ESTH. VIII. 15.

Maximo fuit apud cunctos fere populos in honore albus color, adeo vt summae ipsis iudicaretur munditiei, innocentiae ac puritatis symbolum. PLVTARCHVM saltem audiamus, qui *probl. XXVI.* colorem candidum naturalem, simplicem, purum, lucidum salutat, eundemque proinde mores ingenuos, puros, simplices, decoros, significare, et laetitiae, libertatis, honoris victoriaeque symbolum esse pronunciat. Triplici autem in casu fuisse huius coloris vestes vsurpatos a veteribus, antiquitatis monumenta docent; honoris nimirum gratia, in re laeta, et in sacris. Quod ad primum attinet, coloris albi vestes fuisse inter omnes ferme gentes ceteris honorationes, imperatoribusque, regibus, principibus, aliisue illustri dignitate conspicuis personis quasi dicatas constat. Apud Hebraeos amictum candidum primores gestasse, DANIEL HEINSIVS refert in *exercitationibus ad Luc. XXIII.* 11. *pag.* 196. Vnde et mortuos principes albis tunicis tumulo mandatos ab iis fuisse, IO. BVXTORFIVS in *synagoga Iudaica, cap.*

XLIX. docet. Imo Hebraeis viri nobiles dicebantur חורים, *candidi,* quod alba plerumque amicti erant veſte. Aegyptios pari ratione deſtinaſſe optimatibus exornandis album potiſſimum veſtium colorem, Moſes priori adducto loco teſtatur, de Ioſepho referens, quod vna cum aureo annulo aliisque proximi a Pharaone rege loci inſignibus alba quoque donata ipſi ſtola fuerit. vid. IO. GERHARDI *commentarius ad h. l.* et eiusdem *harmonia euangelica, cap. I. pag.* 1882. De Perſis vero alter locus noſter Eſth. VIII. 15. idem confirmat, vbi Mardochaeus, primarius Perſarum monarchae Ahaſueri miniſter, ornatu honorandus regio, albis indutus veſtibus ab iisdem introducitur. Liquet idem etiam ex OCTAVII FERRARII *analectis de re veſtiaria, cap. XIV. pag.* 15. vbi Perſarum reges tunicam purpuream geſtaſſe narratur, quae in medio album habuerit intextum. Graecorum regum diademata albo conſtitiſſe colore, LVCIANVS tradit, eadem *ταινιας λευκας* nominans, nec non CASAVBONVS in *notis ad Suetonii vitam Iulii Caeſaris, cap. LXXIX.* de Romanis, quin ſimili indulſerint mori, dubitare nos non ſinit SVETONIVS *loco citato,* Caeſaris ſtatuam ab eius mancipiis laurea, candida faſcia praeligata, exornatam fuiſſe ſcribens. Eandem ob rationem ad diuinum cultum etiam adhibitum, omnium ferme gentium conſenſu, hunc colorem

lorem fuiſſe, obſeruat PIERIVS VALERIANVS *lib. XXXIX. hieroglyph. cap. V.* A ſacerdotibus proinde in templo miniſtrantibus veſtes vſurpantur candidae, vti fuſius probant IO. BRAVNIVS in *ſelectis ſacris, lib. III. cap. I. §. XX.* et MELCHIOR LEIDEKKERVS *de republica Hebraeorum, lib. X. cap. III.* Et virgines quoque apud eosdem in feſtis ſolemnioribus iſtis induebantur. Vid. quae hanc in rem ex tractatu Miſchnico תענית affert ſumme reuerendus SALOMON DEYLINGIVS in *obſeruatioribus ſacris, part. II. pag. 605.* De Romanis, quod in ſacris pariter vſi illis fuerint, teſtantur SVETONIVS in *vita Auguſti, cap. XCVIII.* et POLYAENVS *lib. I. ſtrategem. XXVII. ex. II.* vbi Gelo Syracuſanus ſacra faciens miniſtros adhibet albis indutos veſtimentis. conf. IO. DOVGTHAEVS in *analectis ſacris noui teſtamenti, excurſu CV. p. m. 302. ſeq.* Quod vero in re laeta iſtum itidem colorem adamauerint, varia confirmant veterum ſcriptorum loca, quorum vnum ſaltem afferre liceat ex LIVIO *lib. XLV. cap. XX.* de Rhodiorum legatis narrante, quod poſt deportatam a Perſeo victoriam Romanorum miſſi Romam in veſtibus primum candidis apparuerint, deinde vero reiecti, quoniam decenter minus in bello iſto ſeſe geſſerant, a ſenatu, ſordidam veſtem ſumſerint.

XXVII.

HEBR. XII. 1.

Directe ſibi ſunt oppoſita *ευπεριστατος* et *απεριστατος*, contraria ſignificantia. Quanam autem ratione de hoc loco dubitandi, num haec vel illa vox genuina, anſam dederit STEPHANI codex, docet beatus WOLFIVS in *curis* ſuis *philologicis et criticis, ad h. l.* Nullam ſane diuerſae lectionis ſuſpicionem inuenire licet apud graecos antiquae eccleſiae doctores. Quare mirum eo magis, legere hic *απεριστατος* voluiſſe GROTIVM in *annotat. ad nou. teſt. ad h. l.* contra quem euolue a b. WOLFIO laudatum SALMASIVM, aperte, quod iſta vox locum hic habere nequeat, docentem in tractatu *de foenore Trapezitico, pag.* 256. ex quo tamen cum GROTIO idem ſenſiſſe KLOCKENBVRGIVM apparet, licet aperte is non nominetur, ſed ſalſe ſaltem perſtringatur.

In diuerſa vero abeunt circa vocis huius *ευπεριστατος* explicationem priſci graecae eccleſiae doctores, locum quando praeſentem interpretantur. Duas affert CHRYSOSTOMVS, tertiam THEOPHYLACTVS addit, quartam ſuppeditat THEODORETVS; quorum omnium verba adducit IO. CASP. SVI-

SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico, tom. I. pag.* 1261. *ſeq.* Quam inepte hic noua prorſus probari ſibi iuſſerit DANIEL HEINSIVS in *exercitationibus ſacris, ad h. l.* ευπεριστατον vertens per *doloſum, qui alterum in luctu aut curſu circumuenit,* eidemque reſpondere ait το ευολισθον, quod eius eſt, *qui facile prolabitur,* dederunt demonſtratum ſcriptores a b. WOLFIO *pag.* 776. allegati. Induci interim ſeſe HEINSIVS paſſus eſt lectione gloſſarii graeco-latini, vbi περιστασις per *circumuentionem* exponitur; circumuentus tamen ac deceptus ipſe. Accipitur namque in dicto iſto gloſſario in proprio ſignificatu *circumuentio,* eo ſenſu, quo circumuenire dicimur, quem circumſtamus, ſiue circa quem ſtamus, vel videndi vel audiendi gratia, vti patet illa quoque vocis περιστασεως ſignificatio ex *dictionario* VALERII HARPOCRATIONIS *graeco.* ERASMVS SCHMIDIVS, quoniam apud POLYBIVM atque GALENVM περιστασις quoslibet caſus aduerſus, pericula et damna quaeuis, απεριστατος vero id, quod noxa, periculo et damno caret,* notat, concludit inde, ευπεριστατον contra id deſignare, quod facile damnum affert, ſiue ad illud periculumque inferendum pronum eſt. Quae quidem ex-

* Vocat namque απεριστατα vulnera, quae nullo cum periculo coniuncta ſunt, GALENVS.

plicatio incommoda haud eſt, cum maximum vtique, idque aeternum, damnum afferat et habeat ſecum coniunctum peccatum. CHRISTOPHORVS HEGENDORFFIVS, theologus ac iureconſultus ſeculi XVI. haud incelebris, cuius verba SCHMIDIVS in medium profert, το ευπεριστατον per id explicat, *quod abiici difficulter poteſt*, quoad rem ergo conueniens cum DESIDERIO ERASMO, qui ita vertit: *quod facile circumſiſtit et abiici proinde difficulter poteſt*. Secutus ERASMVM in verſione ſua LVTHERVS eſt, ipſo Paulo Rom. VII. 21. hanc explicationem confirmante. Sequuntur et eundem noſtratium theologorum multi, e. g. MARTINVS CHEMNITIVS in *locis theologicis, loc. de peccato*; AEGIDIVS HVNNIVS in *exegeſi epiſtolae ad Hebraeos, ad h. l.* FRIDERICVS BALDVINVS in *diſputatione in h. l.* IO. ADAMVS SCHERZERVS in *ſyſtemate theologico, loco VII. pag.* 154. IOANNES HVLSEMANNVS in *breuiario extenſo, pag.* 91. et in *manuali Aug. Conf. diſp. XVII. pag.* 821. *ſeq.*

Plerique, beato WOLFIO *pag.* 777. teſte, CHRYSOSTOMI ſequuntur, quae in ipſius *commentario in Pſalmum XLIX.* et *homil. II. in poſteriorem ad Corinthios epiſtolam, pag.* 555. legitur, interpretationem: *peccatum, quod facile nos cingit*, et vocis recte exprimen-

mentem notionem propriam, et illius rei rationem, quam docet in hoc loco diuus apoſtolus, optime declarantem. Similitudine namque a certantibus et currentibus deſumta, hortatur chriſtianos, vt pari ſtudio atque induſtria ad metam propoſitam contendant. De modo etiam, quo facilius feliciusque currere queant, eosdem inſtruit, omnia ea, quae longioris cuiusdam veſtimenti inſtar pedes quaſi inuoluere ac implicare, curſumque proinde impedire atque remouere queant, abiicere et deponere iubens. Ipſa vero vocis deriuatio idem amplius confirmat. Deſcendit ευπεριστατος a verbo περιστημι, id eſt *circumſto, circumquaque circumſtare facio,* ideoque de circumcingendo et circumdando vſurpatur, et quidem α) de praeſidiis ſiue militibus praeſidiariis, vrbes ac caſtella excubiis vigiliisque ſuis circumſtantibus et cuſtodientibus, β) de ſatellitibus ac ſtipatoribus, qui perſonam principis circumſtant, γ) de bello, vndique nos circumdante ac circumcingente, et δ) de obſeſſis vrbibus, vndique quae circumdantur. Eleganter omnia haec ſingulaque accommodari ad peccatum poſſunt. Hoſtis enim noſter accerrimus vtique peccatum eſt, circumdans nos, circumcingens, et quaſi obſidens ſeu obſidione premens ac cuſtodiens, ne pii quid aut boni agamus. Et poteſt optime quoque commemorata de

curſoribus metaphora retineri. Longioris namque veſtimenti inſtar peccatum in currendo, ne velociter curramus metamque ſalutis aeternae praeſtitutam conſequamur, impedit. Qui vero allegati a me ante ſunt, ERASMVM ac LVTHERVM in interpretanda voce hac ſequentes, theologi nobis minus aduerſantur. Vtrumque namque hi coniungunt, alterumque ex altero colligunt ac concludunt; prouti clare hoc teſtantur ipſa eorum verba. Conf. praeter citatos ABRAHAMVS CALOVIVS in *bibliis illuſtratis, ad h. l.* et in *exegeſi Aug. Conf. art. II. cap. IV. §. II.* nec non SALOM. GLASSIVS in *philologia ſacra, lib. V. tract. I. cap. XII. pag.* 1867.

XXVIII.

Lvc. IV. 29.

Non ordinaria haec erat et in Iudaeorum iudiciis recepta poena, quam ſanctiſſimo Seruatori hic parabat concitata plebs, ſed talis ſaltem, quae in tumultu iam a populo ipſi parabatur. Romanis vero antiquioribus praecipue in more erat poſitum, proiicere ac praecipitare a Tarpeia rupe, vti poetis illa audit, milites transfugas et in fuga receptos, nec non tyrannos, qui rapere ad ſe rempublicam conati fuerant, vti duobus

duobus ex LIVIO petitis exemplis probat IO. CASP. SVICERVS in *thesauro ecclesiastico, tom. I. p. m.* 408. Manlius enim Capitolinus huius criminis reus erat actus. Vid. PLVTARCHVS in *Camillo*, et CLAVDIVS MAMMERTINVS in *gratiarum actione pro consulatu ad Iulianum.* Eadem ratione in milites suos transfugas animaduertisse etiam Mithridatem, Ponti regem, auctor est APPIANVS *de bello Mithridatico, pag.* 396. Non solum vero horum, sed aliorum quoque scelerum reos poena ista afficiebant Romani. Illos, qui falsi arguebantur testimonii, praecipitari solitos fuisse, testis est AVLVS GELLIVS *lib. XX. noctium Atticarum, cap. I.* De homicidis, imo omnibus capitali supplicio afficiendis, narrat id DIONYSIVS Halicarnasseus *lib. VIII. antiquitatum Romanarum*, et PLVTARCHVS in *vita Romuli*; prouti et de iis, qui incestum commiserant, idem refert TACITVS *lib. VI. annalium, cap. XIX.* Recentioribus autem temporibus per legem Valeriam et Porciam abrogatum id supplicii genus fuit, crudele nimis Romanis visum, donec a Tiberio imperatore reuocatum fuerit, teste SVETONIO in *vita Tiberii, cap. LXII.* Conf. PETRVS FABER *lib. I. semestrium, pag. 93. seq.*

XXIX.

XXIX.

MATTH. I. 19.

Scriptores bene multos, qui ſignificationem vocabuli παραδειγματιζειν hic obuii eruere ſtuduerunt, nominat b. WOLFIVS in *curis* ſuis *ad h. l.* Ego nonnulla ſaltem monebo, quae ad determinandam eam mihi viſa fuere praecipue notanda, ex ſignificatu vocis, a qua illud deriuandum, petita. Deſcendit ſcilicet a παραδειγμα, quod *exemplum* denotat. Pro *poena* hoc accipitur vocabulum apud Latinos, vti TACITI, TERENTII, CICERONIS aliorumque loca teſtantur a SVICERO *tom. II. theſauri eccleſiaſtici, p. m.* 790. allegata. Eundem puniendi ſenſum proinde hoc Matthaei loco verbo παραδειγματιζειν tribuunt AVGVSTINVS *epiſt. XLV. ad Macedonium*, HILARIVS, THEOPHYLACTVS, HVGO GROTIVS, IO. PISCATOR et DAN. TOSSANVS in *commentariis* ſuis *ad h. l.* ad capitale ſupplicium ſiue mortis poenam reſpicientes, de qua Deuter. XXII. 22. legitur diuina lex. Verum enim vero cum diuus Matthaeus euangeliſta aoriſto primo infinitiui actiui vtatur, Ioſephus autem tanquam perſona priuata ipſo hoc ſupplicio afficere Mariam, ſi etiam voluiſſet, minus potuiſſet, magiſtratui id officium relinquere coactus; admitti hoc loco non

non poteſt commemorata vocis huius interpretatio. Vid. EDVARDI LEIGHII *critica ſacra noui teſtamenti*, ſub hac voce, et SVICERVS *loc. cit.* Diſplicuit iſta propterea etiam DAN. HEINSIO, qui Helleniſtarum more de infamia ludibrioque priuato exponi voluit in *exercitationibus ſacris, pag.* 3. cui autem bene reſpondet SALMASIVS apud LEIGHIVM *l. c.* Quem iam citaui, GROTIVS, aeque magnus alias ſtrenuusque Helleniſtarum patronus, contrariam ex ipſis LXX. interpretibus, Heinſianam ſubuerſurus expoſitionem, demonſtrare, quodque ab illis Num. XXV. 4. et in additamentis ad Eſth. XIV. 9. de capitali poena vſurpatum fuerit το παραδειγματιζειν, aſſerere conatus eſt. Sed ridet ſalſe hanc GROTII ac HEINSII rixam SALMASIVS in *praefatione ad commentarium de lingua helleniſtica.* Nec opus eſt commentitiis hisce helleniſticis. *Mihi quidem non eſt dubium,* ita prudenter pro more ſuo iudicat laudatus WOLFIVS *loc. cit. pag.* 19. *per verbum hoc publicam hic ſignificari ignominiam, qua partim is, qui facinus commiſit, punitur, partim alii deterrentur, ne quid tale committant.* Et ſequitur hoc prono alueo ex ipſa vocis ſignificatione.

Animaduertendum autem primo atque generatim eſt, familiare vſitatumque omnibus

bus in linguis ferme deprehendi hoc, vt indeterminatam ſignificationem quaedam habeant vocabula, quae deinde variis rebus applicari et ſpecialius determinari, pro ceteris circumſtantiis, poſſunt. Quare ex voce praeciſe conſiderata ſenſum haud licet definitum eruere.

Idem circa vocabulum noſtrum παραδειγματιζειν hoc loco tenendum. Late patet in ſe ſpectatum vocabulum παραδειγμα, *exemplum,* quod ita exhibetur atque oſtenditur, vt per illud, tanquam documentum, inſtituantur et moneantur alii; το παραδειγματιζειν inde deſcendens eſt efficere, vt aliquis aliis ſit exemplo, in quod intueantur, et ſic informentur. Cum autem varie fieri hoc poſſit, vt exiſtat aliorum quis exemplum, et in hac ipſa voce, ſeorſim ſpectata, nullus deprehendatur certus atque definitus modus; definiendus ille eſt ex conditione et natura rei ſeu negotii, de quo in vnoquoque loco agitur. Varios coniungit ſignificatus BENEDICTVS ARETIVS in *comment. in h. l.* quando ait: *voluit eam Ioſephus nec poenae, nec famae, nec riſui exponere; quae tria per hoc verbum notantur.* Notandum vero, illud, quod hac voce primo inuoluitur, non eſſe *poenam,* ſed *infamiam ac publicam traductionem per verba, per calumnias ac per conuitia.* Conf. ED. LEIGHIVS

LEIGHIVS *loc. cit.* Noſtro itaque loco verbum παραδειγματιζειν de infamia, ignominia et probro accipiendum eſt, in quod incidiſſet Maria, ſi ſuſpicionem ſuam et animi cogitata, de violata eius virginitate concepta, indicaſſet aliis Ioſephus. Id proinde, vt ſine omni ſtrepitu fieret, clam, nulla nec dicta nec audita diſceſſus ſui cauſa, deſerere deſponſatam ſibi Mariam, in animum induxerat.

Conueniunt cum hac explicatione optimi interpretes. Recte namque ERASMVS vertit: *infamare*, quem ſequuntur VICTORINVS STRIGELIVS in *hypomnematibus ad h. l.* THEOD. BEZA *comment. in h. l.* LAVR. VALLA *in h. l.* FLACIVS, alii. Elegans hanc in rem ex PLVTARCHO affert idem BEDA, obuium etiam apud LEIGHIVM *l. c.* exemplum, vbi Archilochus poeta εαυτον παραδειγματιζειν, ſe ipſum infamare obſcoenis ſuis carminibus dicitur. Et fatetur ibi BEZA ipſe iuuentutis ſuae errata, quod ſemetipſum παραδειγματιση parum honeſtis verſibus, idque ab aduerſariis ſuis ſaepe obiectum ſuiſſe ſibi dolet. Occurrit aliud etiam huic conſimile exemplum apud DEMOSTHENEM in *orat. contra Aeſchinem* de falſa legatione, vbi κτεινειν, *occidere*, et παραδειγματιζειν, *infamare* ſibi inuicem opponuntur. Habentur quoque apud POLYBIVM ſimi-

ſimilia *lib. II. pag.* 203. et in *excerptis virtutibus ac vitiis, pag.* 1449. Conf. praeter auctores iam citatos, eidem circa hunc locum interpretationi fauentes, FRID. SPANHEMIVS in *dubiis euangelicis, part. I. dub. XXI.* et IO. LIGHTFOOTVS in *horis hebr. et talmud. ad h. l.* qui praeterea poenam capitalem hic intelligi minus poſſe obſeruat, quoniam lex diuina Deut. XXII. 22. de adultero, morte puniendo, lata, per libellum repudii Deut. XXIV. 1. conceſſum, eneruata fuerit, conſentientem hac in re ſecum habens FRANC. GOMARVM *tom. I. operum, ſtatim ab initio.* Addantur CAMERO in *myrothecio euangelico ad h. l.* CORNEL. A LAPIDE, PET. WINSTRVPIVS, CASP. BERTRAMVS aliique in *commentariis ad h. l.* Habet etiam in verſione ſua *traducere* vetus interpres, ſub *Vulgati* nomine notus, cuius in vertendo hoc verbo elegantiam miratur ERASMVS, licet reuera talis Monachorum ſuperiorum temporum elegantia eiusmodi admirationem vix mereri videatur. Aliquoties enim v. g. PETRVS LOMBARDVS *lib. IV. ſententiarum* verbum *traducere* exponit per *rem habere cum aliqua.* HVGO autem Cardinalis *comment. in h. l.* quando *noluit eam traducere* vertit, addit: *ſcilicet in domum ſuam traducere.* Quae exempla ſatis confirmant, quam inepte iſtius vocabuli ſignificationem h. l. determinauerint. Quae

de

de diuo noſtro LVTHERO monet b. WOLFIVS *l. c. pag.* 19. quaſi in verſione ſua per *rügen* accuſandi inprimis ſignificatum exprimere voluerit, vix videtur admittere addita a megalandro iſto nota marginali: *Rügen, das iſt, er wolte ſie nicht zu Schanden machen für den Leuten* etc.

XXX.

MATTH. XVIII. 1. ſeqq.

Valde ſoliciti fuere veteres circa puerulum hunc determinandum, a Seruatore diſcipulis exempli loco commendatum. Duae autem potiſſimum ſunt ſententiae, quarum altera latinae eccleſiae, altera graecae ſe probauit. Latinae eccleſiae doctores *Martialem*, Lemouicenſium in Gallia epiſcopum, fuiſſe puellum iſtum autumarunt, de quo vid. b. IO. ALBERTI FABRICII *bibliotheca latina mediae et infimae aetatis, vol. V. pag.* 104. *ſeqq.* Cui ſententiae fauent ANSELMVS, THOMAS, LYRANVS aliique citati in SEBAST. BARRADAE, ex ſocietate Ieſu, *commentario in concordiam et hiſtoriam euangelicam, ad h. l.* Graecae contra eccleſiae doctores *Ignatium*, Antiochenum epiſcopum, intelligunt, quam propterea Θεοφορον dictum eſſe, volunt. Vid. *Menaeum Graecum vetus, ad diem XX. Decem-*

bris, SIMON Metaphraſtes apud COTELERIVM, *pag.* 991. et NICEPHORVS in *hiſtoria eccleſiaſtica, lib. II. cap. XXXV.* nec non alii, quos allegarunt MONTACVTIVS et HALLOIXIVS locis a b. WOLFIO in *curis ad h. l.* et THO. ITTIGIO in diſſertatione *de patribus apoſtolicis*, §. *LXXXIII. pag.* 255. *ſeq.* nominatis. Reperitur eadem etiam in duobus Syris ſcriptoribus, ſupra commemoratis graecis antiquioribus, quos commemorat *Archiepiſcopus Armachenſis* ſiue *Armachanus* in *annotatis in acta Ignatii, pag.* 37. teſte GVIL. CAVEO in *antiquitatibus patrum et eccleſiaſticis, pag.* 232. editionis Germanicae Bremenſis.

Sed vana omnique prorſus fundamento deſtituta iudicanda eſt haec aeque ac prior explicatio; ceu de illa inprimis demonſtratum fuit ab VSSERIO et PEARSONIO, quos WOLFIVS allegat. Solent quidem, qui huic poſteriori fauent, ad corroborandam iſtam, petere argumentum, praeter alia, etiam ex ipſius IGNATII data *ad Smirnenſes epiſtola* (pag. 3. editionis epiſtolarum Ignatii ab Iſaaco Voſſio anno MDCXLVI. Amſtelodami curatae) vbi haec leguntur verba: *Ego enim poſt reſurrectionem in carne ipſum* (Chriſtum ſcilicet) *vidi et credo ipſum exiſtentem.* Verum huic obiectioni etiam reſpondit ITTIGIVS *loc. cit. pag.* 257. *ſeqq.*

Et

Et recte ex silentio CHRYSOSTOMI, qui peculiarem habuit in laudem IGNATII orationem, *tom. V. operum, pag.* 409. *seqq.* obuiam, hoc non solum ostendit, sed etiam diserte, quod viderit in carne Seruatorem IGNATIVS, negat. Refutarunt HALLOIXIVM et MONTACVTIVM eruditi, licet defendat eos summe reuerendus ERN. SAL. CYPRIANVS in doctis suis *ad* HIERONYMI *catalogum annotationibus, pag.* 244. En! ipsa CHRYSOSTOMI verba: *Tantam*, inquit *l. c. pro Christo animi promtitudinem ostenderat non tantum Petrus et Paulus, sed etiam Ignatius, qui neque eum viderat, neque vlla eius conuersatione gauisus erat, vt pro eo vitam fundere non dubitaret.* Verbis his quid clarius? *Ipse autem Ignatius*, scribit ITTIGIVS *loc. cit. pag.* 257. *cognomentum suum explicauit, asserens*, θεοφορον *esse, qui Christum habet in pectore.* Conf. IO. ANDR. SCHMIDII *historia seculi secundi fabulis variorum maculata*, Helmstadii anno MDCCVI. disputationis instar euulgata, *pag.* 14.

Diuersa a duabus commemoratis circa puerum hunc sententiis est, quam fouit BERNHARDVS *homil. IV. in Luc. I.* 26. et BEDA, venerabilis dictus, *in Matth. XVIII.* Christum ipsum intelligentes, quasi is se ipsum in medio constituisset discipulosque

humilitatem a ſe diſcere iuſſerit. Sed repugnat narrationi euangeliſtae aeque aperte haecce interpretatio, ac HIERONYMI, qui per puerum iſtum Spiritum ſanctum indigitari putauit.

Conſtat interim, praeſenti ex Matthaei diui loco, fidem infantum a noſtratibus theologis probari ſatis firmiter, licet, infantes hic intelligendos eſſe, negent pontificiae aeque ac reformatae eccleſiae doctores, grandiores, qui vocati ad Seruatorem accedere ad ipſum potuerint, pueros ſubintelligentes. Verum ipſa του παιδιου, quod hic legitur vocabulum, notio contrarium euincit. Nec enim per illud, abſolute poſitum, alius, quam eiusmodi infans, indigitatur; cum, quando aetatis grandioris puer voce iſthac indicatur, epitheton aliquod addatur, aetatem illam quaſi determinans. Quod vero vocaſſe hos infantes ad ſe dicitur Seruator, non probat, fuiſſe illos adultioris aetatis atque grandioris. Obtinet namque et inter nos vulgaris is loquendi mos, vt aduocare eos dicamur, qui tamen ambulare nondum valent, verum a nutricibus vel aliis portantur. Et ipſe ſanctiſſimus Seruator hunc in modum Luc. XVIII. 15. vocaſſe ad ſe legitur τα βρεφη, nec non εναγκαλιζεσθαι eiusmodi παιδιον. Marc. IX. 36. Minus autem is obtinuiſſet ſcopum ſuum, ſi adultiores iam pueros

pueros aduocaſſet, eosque in exemplum humilitatis diſcipulis propoſuiſſet ; cum ſoleat apud iſtos maior iam deprehendi ſuperbia ſiue honoris cupido. Huic ergo Seruatoris ſcopo cum optime reſpondeat vocabuli παιδίου de infante explicatio, quid cogit, quaeſo, nos, hanc primam propriamque eius ſignificationem vt praeter rationem deſeramus? Pugnat quam maxime proinde hic etiam pro nobis et interpretatione noſtra nota illa regula, ſecundum quam vox analoga ſemper ſtat pro ſuo famoſiori ſignificatu, et, quando occurrit vocabulum quoddam πολυσημον (qualis eſt παιδίον; alias nonnumquam etiam aetates modo ſupra dicto notans) ſimpliciter et abſolute poſitum, prima eligitur eiusdem atque propria ſignificatio, cui tamdiu inhaerendum, quamdiu iſti aliam praeferre non ſumma nos cogit (hic qualis nulla) neceſſitas. Hanc vero propriam et primam eſſe παιδίου ſignificationem, vt infantem notet, matris aut nutricis vberibus adhaerentem, ex EVSTATHIO aliisque Grammaticis abunde conſtat.

Obiiciunt quidem verba commatis ſexti diſſentientes, indeque, infantes tales intelligi non poſſe, contendunt, quoniam το σκανδαλιζειν, cuius fit dicto iſto commate mentio, in illos minus cadat. Sed ſalua res eſt. Recte enim diſtinguit b. BALTHASAR

MEISNERVS in *anthropologia* ſua, (cuius iam locus dum haec ſcribo, quoniam non eſt ad manus liber, haud ſuccurrit) inter ſcandalum reale et morale. Poſteriori ſcilicet reſpectu dicuntur ſcandalizari infantes, a prima quando pueritia aſſueſcunt malis eiusmodi rebus agendis, exemplo noſtro incitati. Nobis ergo, a quibus ſic agere diſcunt, moraliter hoc tanquam datum ſcandalum imputatur. Reſpondent alii quoque, ad ſcandalum opus non eſſe, vt ſemper adſit aliquis, actu qui ſcandalizari poſſit; ſufficere, docentes, ſi ſit, talia qui loquatur vel agat, vnde quis ſcandalizari poſſit, etſi actu nemo ſcandalizetur; in exemplum huius rei adducentes locum Matth. XVI. 23. vbi σκανδαλον ſibi εἶναι Petrum Seruator affirmat, qui ſcandalizari tamen nulla ratione poterat. Vt ſilentio praeteream, quem reſponſionis loco pariter hic opponunt aduerſariis alii, loquendi vſum, quo actiua verba non actum ſemper, ſed conatum tantum ſiue ſtudium aliquid agendi denotant; prouti 1. Io. V. 10. vbi Deum dicimur mendacem facere, ipſi ſi non credimus; quod actu ſane fieri nequit. Leguntur vero eiusmodi apud profanos pariter auctores exempla; v. g. AESCHYLVM, qui *tragoedia II. verſ.* 1027. cepiſſe quandam vrbem dicit, qui tamen interiit ipſe, vrbe ipſa minus expugnata. Vid. pluribus GODOFR. VOIGTII tractatus *de fide infantum bapti-*

baptizatorum, ſect. III. cap. I. pag. 60. *ſeqq.* IO. CASP. SVICERI *theſaurus eccleſiaſticus, tom. II. p. m.* 526. IO. VORSTII *philologia ſacra, part. I. pag.* 73. THOM. GATAKERI *aduerſaria, cap. XXXII.* et SALOM. GLASSII *philologia ſacra, lib. III. tract. III. can. VIII. p. m.* 766. *ſeq.*

XXXI.

MARC. IX. 36.

Breuiter adduxi ad antecedentem locum Seruatoris, vlnis infantes excipientis, exemplum a diuo Marco allatum, quo probetur, de infantibus eſſe in illo ſermonem. Explicat quidem vocabulum, quo hic Marcus vtitur, εναγκαλιζεσθαι Lucas cap. II. 28. quando ita ibi exponit: εδεξατο εις τας αγκαλας. Verum excipit GROTIVS, generalem habere tantum *amplectendi* vel *complectendi* ſignificatum, non vero ſpecialem *excipiendi in vlnas* verbum εναγκαλιζεσθαι; id probare ſtudens ex verſione των LXX. qui hebraeum verbum חבק, quod in genere *amplecti* notat, per illud εναγκαλιζεσθαι ſunt interpretati, Prov. VI. 10. nec non per συνεχεσθαι αγκαλαις, ibid. comm. 20. indeque hoc diui Marci loco eundem ſignificatum verbo commemorato tribuens. At falſus eſt hic GROTII aeque ac HEINSII (cui

ſpiſſum ſuum *exercitationum ſacrarum* opus hic ſuperſtruxit) canon, vbiuis qui explicare occurrentes in ſacris noui foederis libris voces atque dictiones ex notione hebraearum veteris foederis vocum iubet; vt ex inſtituto demonſtrauit CLAVDIVS SALMASIVS in doctiſſimo ſuo *de lingua helleniſtica* commentario, huncque ſequente *eiusdem funere* et *oſſilegio*. Et poterunt innumera in medium adduci exempla, abſurda quibus illius aperte foret applicatio. Sic namque v. g. graecum vocabulum ὀρος, quod *montem* ſignificat, denotare etiam deberet *vallem*, et vox βουνος, quae *collem* ſignificat, *vallem* ſimul indicare, quoniam οἱ LXX. Ieſa. XXVIII. 1. 4. τὸ גיא, quod Hebraeis *vallis* eſt, per ὀρος ſunt interpretati, 2. Reg. II. 16. autem per βουνος. Idem גיא vocabulum Ezech. VII. 16. per μελετικος, *meditans*, expoſuerunt. Quae vero, quaeſo, datur inter hominem meditantem atque vallem conuenientia? Aut num inde habebit μελετικος vallis quoque ſignificationem? Eadem ratione מים 1. Sam. XXV. 11. per οἰνον, *vinum*, et Iob. XIV. 12. per χρονος, *tempus*, vertunt. Quae vero hic inter tria illa vocabula conuenientia? Anne vinum et tempus iam מים denotabit? Apparet inde, meo quidem iudicio, aperte ſatis, quam inepte ex verſione ſeptuagintavirali voci ἀναγκαλιζεσθαι ſolum generalem amplecten-

plectendi ſignificatum vindicare GROTIVS laboret. Quod vero apud profanos aeque ſcriptores illa *in vlnos recipere* denotet, variis exemplis docuit doctiſſimus IACOBVS ELSNERVS in *obſeruationibus ſacris, ad h. l.*

XXXII.

GENES. VIII. 7. 9. 11.

Cadaueribus, vt ne reuerteretur, detentum coruum fuiſſe, coniicit CHRYSOSTOMVS, *homil. XXVI. in Geneſin* ſcribens: *Iam autem operae pretium, vt dicatur cauſa, quare non redierit haec auis. Fortaſſis auis illa, vti eſt immunda, cum deſiiſſent aquae, incidit in cadauera hominum et brutorum, quibus, inuento ſibi congruo cibo, inſedit.* Suſpicatur idem etiam SVLPITIVS SEVERVS in *hiſtoria ſacra, lib. I. cap. III.* Nec aliter AVGVSTINVS in *quaeſtionibus in Geneſin: Quaeritur, vtrum coruus mortuus fuerit, an aliquo modo viuere potuerit? Si enim fuit terra, vbi requieſceret, ſimiliter columba requiem inueniſſet. Vnde coniicitur, quod cadaueri potuit coruus inſidere, quod naturaliter refugit columba.* Idem *lib. X. contra Fauſtum Manichaeum, cap. XX. Quod poſt dies quadraginta emiſſus coruus non eſt reuerſus, aut aquis vtique interceptus, aut aliquo ſupernatante cadauere illectus, ſignifi-*

cat homines in immunditia cupiditatis teterrimos. Mirum vero, de coruo, rediiſſe eum, ſcripſiſſe IOSEPHVM, quod de columba priori Moſes v. 9. refert.

Gratiſſimum vero pacis ſymbolum, quando ſecum attulit reuerſa altera emiſſa a Noacho columba, v. 11. Eleganter de eo AVGVSTINVS *lib. II. de doctrina chriſtiana, cap. XVI. Oleae ramuſculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, ſignificatur pax perpetua. Nam nouimus et olei lenem attactum non facile alieno humore corrumpi, et arborem ipſam frondere perenniter.* HILARIVS item *in Geneſi:*

Poſtquam diluuii cecidit tumor, vnda reſedit,
Ales paciferae folium portauit oliuae,
Iam ſiccis reuolans pennis dedit omina pacis.

PRVDENTIVS in *diptycho:*

Nuncia diluuii iam decreſcentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis oliuae:
Coruus enim ingluuie per foeda cadauera captus
Haeſerat, illa datae reuehit noua gaudia pacis.

At

At enimuero, vbi inuenerit olae folium columba? merito quaeritur. Reſpondet CHRYSOSTOMVS *loco* ſupra *allegato: Totum hoc factum eſt diſpenſatione diuina, et quod columba inuenit, et quod ore receptum ad iuſtum attulit. Alioquin et arbor haec ſemper virens eſt, et veriſimile eſt, quod cum aquae abierint, arbor haec adhuc habuerit foliorum copiam.*

XXXIII.

Ios. XIV. 15.

Παροραμα haud leue commiſit circa locum hunc *Vulgata* verſio, ita eum quando vertit: *nomen Hebron ante vocatur Kiriath Arbe: Adam maximus ibi inter Enakim ſitus eſt.* Vocem enim *Adam*, quae itidem pro appellatiua haberi debet, tanquam proprium protoplaſti nomen accepit, vnde fabuloſa iſta ortum traxit traditio, ac ſi Adamus, humani generis caput, ibi ſit ſepultus. Prouocant ad haec verba, qui dictae fabulae aſſenſum praebent, HIERONYMVS *in Matth. XXVII.* et ALPHONSVS TOSTATVS, epiſcopus Abulenſis, *comment. in Gen. XXIII.* Alii tamen, vt CAESAR BARONIVS in *annalibus ad A.C. XXXIV. num. CXV.* et IACOBVS TIRINVS *comment. in Ioſ. XIV.* 15. non primum mortalium parentem,

tem, ſed alium quendam, nomine iſto inſignitum, gigantem intelligunt. Apertus vero error eſt, quando pro nomine proprio habetur hic vocabulum אדם, cum ſit in textu תו ה emphatico munitum, hoc autem cum nominibus propriis virorum atque foeminarum iuxta Grammaticorum obſeruationes coniungi per naturam ſuam nequeat. Vid. R. KIMCHI in *Michlol fol. LIV.* et IO. BVXTORFIVS in *theſauro lib. II. cap. V. pag. 52. et 55.* Appellatiuum eſt illud vocabulum hominem ſignificans, nec Adamum, nec, vt Iudaei volunt, Abrahamum, ſed pro materia ſubſtrata illum, de quo ſermo fuerat, et cui nomen erat *Arba.* Recte itaque interpretatio ſe habet LVTHERI, quam margine adſcripſit: *Von ſolchem Mann Arba heiſt die Stadt Kiriath Arba, das iſt, Arba Stadt, wie wir Teutſchen ſagen: Carlsſtadt, Arnſtadt.* Idem etiam iudicium IO. ANDREAE QVENSTEDII in libro *de ſepultura veterum, cap. I.* IO. CHRISTIANI ISINGII in *exercit. hiſtor. chronol. geograph. et philolog. pag. 36.* aliorumque. Vnde etiam *paraphraſtes Chaldaeus* ad euitandam vocis hebraicae homonymiam pro אדם ſubſtituit אנש. Conf. CORNELIVS A LAPIDE et GVILIELMVS ESTIVS in *commentariis ad h. l.* nec non IO. BVXTORFIVS in ספר קבוצים §. *XXV.* et IO. MARCKIVS in *hiſtoria paradiſi illuſtrata, pag. 106. ſeqq.*

Cur autem vir iſte Arba, verba ſunt ANDR. MASII in *explicatione hiſtoriae Ioſuae, ad h. l. inter Enacinos magnus fuiſſe ſcribatur, an, quia corporis mole in illo gigantum genere excelluerit, an vero, quia penes eum fuerit apud eam gentem principatus, non ſatis explicata res eſt.* Conſtat interim, qualia et quam abſurda, occaſione fabulandi et varia fingendi ex hoc dicto Ioſuae, male de primo gentis noſtrae parente intellecto, ſumta, de gigantea ipſius magnitudine ſomniauerint non Iudaei tantum quidam vani, ſed ex Chriſtianis quoque haud pauci, et nominati et refutati a b. IO. BENEDICTO CARPZOVIO, filio, *cap. III.* diſputationis *de Gigantibus*, Lipſiae anno ſuperioris ſeculi LX. ventilatae, et in *diſputationibus* eius *academicis*, *pag.* 150. *ſeqq.* recuſae; IOAN. PHILIPPO GROSS in diſſertatione *de quaeſtione: quanta Adami ſtatura fuerit?* Lipſiae itidem anno MDCCXXVII. habita; et IO. MARKIO *l. c.* Fabulam autem ipſam de Adamo in vrbe hac Kiriath Arba ſepulto exploſam pariter dederunt SIXTINVS AB AMAMA in *antibarbaro biblico, lib. III. pag.* 384. AVGVSTVS VARENIVS in *decadibus Moſaicis, decad. VIII. loc. V. concl. III. pag.* 501. AVGVSTVS PFEIFFERVS in *dubiis vexatis, centur. II. loc. L. pag.* 332. et IO. SAMVEL LVPPIVS in diſſertatione *de ſepulchro Adami*, Wittebergae anno MDCCXVIII. euulgata,

ſect.

ſect. I. qui in eadem diſſertatione etiam alias fabuloſas de ſepulchro Adami, in monte Golgatha ſiue loco caluariae a nonnullis, ab aliis in inſula Sarandib quaeſito, narrationes, nec non de ipſo bis ſepulto commentum pro merito refellit.

XXXIV.

ACTOR. III. 26.

Quando dicitur hoc loco Ieſus ab apoſtolo παις του Θεου, ſine cenſura dimittendus non eſt DAN. HEINSIVS, qui in *Ariſtarcho ſacro, pag.* 672. reprehendit NONNVM, quod Dei filium vocarit παιδα του Θεου, rationem adducens hanc, quod *ſeruum* apud LXX. interpretes ſignificet ὁ παις. Cum vero apertum nimis ſit, quam quod negare aut ignorare HEINSIVS poterat, ſaepius in ſacris veteris aeque, ac noui foederis tabulis τον παιδα του Θεου appellari ſanctiſſimum Seruatorem, concedit illud quidem, ſed ita tamen, vt limitetur, nec ex ipſius mente, niſi ανευ λογωσεως, ſiue tanquam merus homo conſideratus, eo nomine Seruator veniat. Quis vero hanc HEINSII ſententiam, Neſtorianam ſentinam redolentem, pugnare cum ipſis diuinis eloquiis non videt? Aut quis, Act. IV. 30. ανευ λογωσεως dici παιδα του Θεου Ieſum, con-

concedit? licet Caluinianorum ad palatum hoc vtique foret. Eadem quoque ratione noſtro in loco tribuitur ipſi hoc nomen, nec vnquam alias, niſi μετα λογωσεως, ſiue vt Dei æque, ac homini.

Nullus quidem negauerim, *ſeruum* etiam deſignare τον παιδα. Commemoratur v. g. apud DEMOSTHENEM παις ακολουθος, nec non apud alios ſcriptores Graecos, quorum loca adducunt IAC. ELSNERVS in *obſeruationibus ſacris, tom. I. pag.* 210. et ALEX. MORVS in *notis in nouum foedus, pag.* 196. Inde IVLIVS POLLVX in *onomaſtico, lib. III. cap. VIII: vocantur ſerui παιδες apud Atticos, quamuis prouecta iam aetate.* Latinos ſcriptores eandem ſignificationem tribuere vocabulo *pueri*, exemplis docet IO. DOVGTAEVS in *analectis ſacris noui teſtamenti, pag.* 49. Immo Hebraei ipſi נער, i. e. *filius*, et אבד, i. e. *ſeruus*, promiſcue adhibent, vti, GVSSETVM citans, monet IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis philol. et criticis, vol. I. pag.* 1068. Interim non *ſeruum* ſolum, ſed et *filium* vox haec indigitat, et hominis quidem non plebeii tantum, verum magnatum quoque, imo deorum. Sic imperator Auguſtus dicitur παις Iulii Caeſaris, propter adoptionem, ab APPIANO *de B. C. pag.* 537. Alexandrum magnum item παιδα του φιλιππου, Macedonum regis, appellat

lat ARRIANVS *lib. I. et IV. de expeditione Alexandri Magni.* LVCIANVS quoque in dialogo, qui *Herodotus* inſcribitur, *tom. III. operum, pag.* 265. Roxanem, Alexandri M. ſponſam, παιδα ſalutat. Nec diſſimile licet ex XENOPHONTE petere exemplum, qui, quem modo παιδα vocaret, mox υιον dicit *lib. I. Cyropaed. pag.* 6. apud quem etiam tum auus, tum mater Cyrum ſemper hac voce compellat; notante WOLFIO *loc. cit. pag.* 1053. qui RAPHELII *notas* ad *Xenophont. pag.* 380. vberius conſulere iubet. ARRIANVS adeo *lib. II. διατριβων in Epictetum, cap. V. pag.* 133. iuxta philoſophiam Platonicam daemones vocat Θεων παιδας.

Haec ſane ſi obſeruaſſet HEINSIVS, non affirmaſſet, quod in obſcoeno ſenſu de maſculis ſaltem ſcortis vſurpetur haecce vox, grammaticos ſecutus, cum tamen, vti et hoc loco, ſaepius analogiae vſus deroget. Deriuant nempe Graeci Grammatici το παις a παιω, *percutio,* ac τον παιδα notare eum dicunt, qui huiusmodi conditionis (vt ſunt ſerui) aut aetatis (vt ſunt pueri adultiores) eſt, vt poſſit percuti. Latini το *puer* deriuant a *paueo,* quod idem eſt ac *ferire.* Rectius HADRIANVS IVNIVS in *nomenclatore* ſuo; EDVARDVS LEIGH in *critica ſacra noui teſt. pag.* 236. VARRO apud CENSORINVM *de die natali, cap. XIV.* item ISIDORVS

DORVS Hiſpalenſis, *lib. XI. originum ſiue etymologiarum cap. XI.* a puritate puerum deriuant, quia purus ſit, necdum lanuginem floremque genarum habens. Conf. etiam IO. LE MAIRE in *notis ad Cenſorinum de die natali, ad cap. XIV. pag.* 95. editionis Lugdunenſis anno MDCXLII. in forma octopartita euulgatae.

XXXIV.

ACTOR. V. 3.

Conſtat de obuio hic verbo ψευδομαι, proprie notare illud *mentiendo fallere* ac *decipere*, et hoc ſenſu tam cum datiuo, quam cum accuſatiuo, conſtrui; quemadmodum exemplis ex profanis ſcriptoribus petitis varii demonſtrarunt, quos laudauit b. WOLFIVS in *curis phil. et crit. ad h. l.* Quamis enim negari nequeat, dari verba graeca, quae, pro diuerſa ſyntaxi et conſtructione, diuerſam etiam admittant notionem; vti v. g. τιμωρεω, cum accuſandi caſu conſtructum, notat *punio;* dandi vero, iunctum, *iniuriam alicui illatam vlciſcor;* nec non αμυνομαι cum accuſatiuo denotat *arceo, propulſo*, cum datiuo autem ſignificat *opem* vel *auxilium fero:* non tamen perpetuum id eſt, ſed multa potius, imo plura ſunt vocabula, quae eandem prorſus retineant

ſignificationem, diuerſa etiam in conſtructione. Exempla eius rei qui deſiderat, adeat ALEXANDRVM SCOTVM in *grammatica vniuerſa*, *pag.* 660. et IO. CONR. DANHAVERVM in *Idea boni interpretis*, *pag.* 79. *ſeq.* Non eſt ergo, cur hebraiſmum hic quaeramus cum THEODORICO HACKSPANIO in *notis philologico-theologicis in varia et difficilia ſcripturae loca*, *part. III. pag.* 92. exemplum afferente ex 1 Paralip. XXIX. 20. vbi ברך primum cum accuſatiuo conſtruitur, vti docet vocula את, ſtatim vero etiam cum datiuo, indicante ל. Decipi enim ille ſe a BEZA paſſus eſt, quippe qui circa locum Act. V. 3. vnius codicis graeci manuſcripti, in quo particula εἰς fuit addita, auctoritatem ceteris omnibus haud dubitauit anteferre, idemque ideo ad iſtum locum tradidit; ſequentes ſe nactus ex noſtratibus, quod miror, b. SALOM. GLASSIVM in *philologia ſacra*, *lib. III. tract. VI. p. m.* 1038. et ex Caluinianis SAM. MARESIVM in *ſyſtem. theol. pag.* 60.

Ex iis autem, quae monui, facile ſimul apparet, quam male ſibi conſulant Sociniani, diuerſum h. l. ſenſum ex diuerſa ſyntaxi elicere geſtientes, idque reſponſi loco nobis opponentes, quando pro diuinitate tertiae ſacro ſanctae Trinitatis perſo-

nae

nae iuſtum ex hoc capite argumentum deſumimus. Videatur, vt ex multis vnum ſaltem nominem, ALBERTVS GRAVERVS in *centuria illuſtrium quaeſtionum theologicarum, diſp. VII. quaeſt. I.* Ex Socinianis ſingulari diſſertatione argumentum hoc refutare anniſus eſt VALENTINVS SMALZIVS, negans quod Ananias mentitus fuerit ſpiritui ſancto, quoniam in accuſatiuo dicatur: *mentitus es Spiritum ſanctum.* Conf. et GEORGIVS ENIEDINVS in *explicatione locorum ſcripturae vet. et nou. teſtamenti, ex quibus trinitatis dogma ſtabiliri ſolet; ad h. l.* IO. CRELLIVS *de vno Deo patre,* apud ABR. CALOVIVM in *theologia naturali et reuelata, pag.* 1493.

Eandem cum Socinianis tibiam circa locum hunc inflant etiam Arminiani, qui in *examine cenſurae confeſſionis, Cap. XXIV. Sect. IX. mentiri Spiritum ſanctum,* idem eſſe, ac *prae ſe ferre, ſimulare, ac ſi Spiritus ſancti inſtinctu et motu id faceret aliquis, cum tamen Spiritum ſanctum ille non habeat.*

At vana, imo vaniſſima eſt haecce interpretatio. Ex ipſa namque hiſtoria liquidiſſime conſtat, non de perſonae ſimulatione ſermonem eſſe diuo Petro, apoſtolo, ſed de fraude, fallacia, ac animo, ſiue ſtudio fal-

lendi ſpiritum iſtum, qui erat in apoſtolis. Praeterea, quod nolunt Sociniani ac Arminiani, *prae ſe ferre*, aut *mentiri Spiritum ſanctum* (aequipollent enim illis hae duae phraſes) nonne idem erit, ac *ſe gerere ita, ac ſi Spiritus ſanctus ipſe aliquis eſſet?* Loqui ſcilicet ita ſolemus, vt, qui mentiri alterum dicatur, indigitetur ita ſe gerere, ac ſi alter eſſet, aut pro altero haberi velle. Verumenimuero ſenſus hic, dicta ratione quem elicere conantur ex hac phraſi commemorati aduerſarii, omni prorſus repugnat vſui ac dicendi rationi Graecorum. Nec enim apud vllum eorum aliquod deprehendimus exemplum, quo mentiri, aut prae ſe ferre, vel ſimulare aliquem, idem ſit, ac ſimulare, quaſi alicuius motu et inſtinctu aliquid quis peragat. Haec defendi ſane melius poſſet interpretatio, vt, qui mentiatur alterum, velit pro altero haberi; prouti iam commemoraui. Ipſi vero aduerſarii hunc ſenſum non admittunt. Ananiam enim pro Spiritu ſancto venditaſſe ſe, quis perhibebit? Vnum, inde patet, eundemque eſſe quarti aeque, ac tertii, commatis ſignificatum, ἐξηγητικως vero huic illud additum. Conf. CAMERARIVS, LVDOVICVS DE DIEV, ERASMVS SCHMIDIVS, aliique *ad h. l.* Et abeſt tantum, ab eiusmodi locutione, ſeu eius ſignificatione, vt abhorreant ſcriptores alii profani, vt potius eadem

eadem prorſus reperiatur apud APPIANVM *de bello Punico, pag.* 24. vbi aliquem, Romano exercitui interpoſito iuramento fidem qui abdixerat, abſente vero duce ad Carthaginienſes tamen hoſtes transierat, ita alloquitur Romanorum dux, Scipio; *quis malus genius mentem tuam occupauit* ψευσαθαι Θεους και Ρωμαιους, h. e. *ad mendacio fallendor et Deos, et Romanos.*

XXXV.

2. THESS. II. 4.

Ο αντικειμενος και υπεραιρομενος (idem modus idemque participii tempus eodem modo reddendum: *Der ſich widerſetzet und erhebt*) επι παντα λεγομενον Θεον η σεβασμα. Vox λεγομενον tantum cum θεον conſtruitur, *über einen ieden, der Gott oder hochheilig* (per metonymiam abſtracti pro concreto *Hochheiligkeit*) *genennet wird*, id eſt, magiſtratum, ſecundum Pſ. LXXXII. 6. Σεβασμα eſt id, quod colitur, vnde *numen* redditur. Verum non ſolum colitur Numen, ſed et homines venerandi, vti principes ſupremi. Quare dicti quoque fuere imperatores Romani σεβαστοι, auguſti, eorundemque coniuges σεβασται, auguſtae. Expoſitio verborum praecedentium quaſi eſt σεβασμα, hunc in modum: *imperato-*

res, qui dicuntur dii, quibus multoties, ſeſe oppoſuit Papa, ſuper eos dum ſeſe extulit et reuera hodienum extollit. Verum ergo Deum et ſupremum Numen forte hic non reſpexit Apoſtolus. Quae ſi mens eius fuerit, dixiſſet forte: *ſupra Deum ſe extollit.* Nec falſa quoque numina ſeu falſi dii intelligi a Paulo poſſunt. His enim qui contradicit et ſuper eos ſe extollit, recte potius facit. Accedit, quod, ſi hic Deum ipſum intellexiſſet Apoſtolus, non dixiſſet tanquam per ſimilitudinem: ὡς Θεον. Poſterior enim commatis pars de Deo manifeſte agit, prior ergo de magiſtratu. Eadem eſt b. CHRISTI STOCKII ſententia in *N. T.* ſuo, ad *h. l.*

XXXVI.

EXOD. XIV. 21. 22.

Quae habet de effectu huius miraculi PAVLVS OROSIVS *lib. I. hiſtoriae aduerſus paganos, cap. X.* quod etiamnum certiſſima rerum harum geſtarum monumenta exſtent, tractusque currium ac rotarum orbitae non in littore ſolum, ſed et profundo, quousque viſus admittitur, peruideantur, fidem non merentur. Id verum mirum quemlibet merito habet, quod, ne nimis videatur eſſe magnum hoc miraculum, exco-

excogitauit CASPAR CAELIVS, ſibi compertum fuiſſe narrans, eſſe eam maris rubri naturam, vt, interdum in duas partes ſciſſum ac diuiſum, latam transire volentibus viam aperiat, ceu de eo refert IANVS NICIVS ERYTHRAEVS in *pinacotheca l. pag.* 230.

XXXVII.

EZECH. XXXVIII. XXXVIIII.

Per *Gogum* intelligi Antichriſtum, per *Magogum* vero gentem illi adhaerentem, per *Meſech* et *Tubal* gentes Europaeas ex Iapheto ortas, in quibus Antichriſti ſedes eſt, eleganter demonſtrat COCCEIVS *ad h l.* Capitis prioris comm. 8. deſignatur tempus, ſcilicet vltimum, quod quidem a COCCEIO inde a reformatione repetitur, vlterius tamen prorogandum et adhuc exſpectandum videtur, quia nondum omnem vim ſuam contulit, ad oppugnandam eccleſiam euangelicam Antichriſtus, vti tamen futurum eſſe hic docemur. Accedit, quod ſimili praeterea ratione in Apocalypſi vltimum tempus deſignetur. Per *montes Iſraelis* autem eccleſiam hoc Ezechielis loco deſignari, et euangelicam inprimis in Germania, apertum eſt. Huius videtur comm. 11. deſcribi ſtatus eo tempore, quod ſcilicet o-

mnes futuri ſint ſecuri, verus religionis zelus apud omnes ferme exſtinctus, principes etiam, qui muri inſtar debent eſſe eccleſiae, plerique defecturi. Poſteriore capite, comm. 2. videtur concludi, quod potentia Antichriſti extenſura ſeſe ſit vsque in Septentrionem extremum, forte ad Moſcos vsque, vt illi etiam fidem iſtam amplexuri ſint, indeque rediturus in Germaniam Antichriſtus, ad eccleſiam ibidem pariter opprimendam, regnumque ſuum hac ratione vbique ſtabiliendum. Illud ſane poſtulat tum verbum שבבתי tum part. מ in מירכתי צפון. Senſus verbi ששאתי forte nondum exploratus eſt; conuenire tamen debere videtur cum praecedente et ſequentibus verbis. Quae commate nono et ſequentibus leguntur, corporaliter explicari nequeunt. Itaque innuitur forte abolitio omnis potentiae bellicae Antichriſti, imo quod media iſtius potentiae in bonum eccleſiae ſint adhibenda. Commate 11. ſequentibusque videtur ſignificari abolitio omnium reliquiarum ſuperſtitionis Pontificiae, quae ſummo ſtudio et ab vniuerſo populo chriſtiano, et a miniſtris eccleſiae, (qui forte per ſeparatos ex reliquo populo intelligendi ſunt) et a magiſtratu, (per transeuntes per terram indigitato) promouenda ſit, vsque dum penitus ſit mundata ab illis impuritatibus terra. Commate

mate tandem 17. et ſequentibus innui videtur, quod alii populi, Antichriſtum hactenus ſecuti, accepta, de inſigni illa iſtius clade, fama, deſerturi eum ſint, iugumque ipſius excuſſuri. Sin corporaliter haec explicanda, vti volunt alii, argumentis haud quidem leuibus inducti, pertinent haec ad exaggerationem victoriae praecedentis, quae fit tum reſpectu armorum combuſtorum, tum reſpectu ſepulturae hoſtium, tum reſpectu ſequentis ſatiationis beſtiarum et auium.

XXXVIII.

2. PARAL. XXXVI. 8.

Verba hic obuia: *et quae inuenta ſunt in eo* nonnulli interpretes hoc ſenſu acceperunt: *et quae IN CORPORE EIVS inuenta ſunt.* Vnde VATABLVS ad haec verba annotauit: *in eo, vel ſuper eum, id eſt, in corpore eius, cum iam mortuus eſſet. Intelligunt ſtigmata quidem impreſſa corpori eius, qualia imprimi ſolent ab impoſtoribus, hominibus credulis et ſuperſtitioſis. Solebant ſibi imprimere notas idolorum, quibus ſeruiebant. Sic etiam Iudaei noſtri temporis ſolent ſibi quaedam imprimere.* Haec de Iudaeis ſui temporis quae dicit VATABLVS, vnde hauſerit et quo fundamento

affirmet, neſcio. Ceterum conſtat, gentiles olim, cultui aſtrorum deditos, Deorum in honorem ſignis vel ſtigmatibus, quae ſtipio colerato carni infigebantur, ſe notaſſe. Videantur, quae tam de hoc, quam de vario alio ſtigmatum vſu ex antiquitatis monumentis annotarunt ſcriptores, allegati in beati IOANNIS ALBERTI FABRICII *bibliographia antiquaria, cap. XV. pag.* 513. PETRI ZORNII *bibliographia antiquario-exegetica, pag.* 461. et IO. CHRISTOPH. WOLFFII *curis philologicis et criticis, vol. II. pag.* 788. *ſeq.* quibus addi poterunt SIGISMVNDVS FRID. DRESIGIVS in diſſertatione *de vſu ſtigmatum apud veteres*, Lipſiae, anno MDCCXXXIII. habita, IO. GEO. MICHAELIS in exercitatione philologica *de inciſura propter mortuos*, Francofurti ad Viadrum eodem anno edita, SAM. FRID. BVCHERVS in *antiquitatibus biblicis ex nouo teſtamento ſelectis, p.* 256. *ſeq.* et WILHELM. ERNEST. EWALDVS in *emblematibus ſacris miſcellaneis, part. I. pag.* 286. *ſeqq.* itemque, quod ad ſeruos in ſpecie pertinet, GODOFR. BERNH. CASSEBOHM in commentatione academica *de ſtigmatibus ſeruorum*, Regiomonti anno MDCCXXX. ventilata. Notatos autem illos, qui Deo cuidam initiari ſolebant, inſigni Dei illius fuiſſe ex 3. Maccab. II. 29. aliisque ſcriptoribus probare vult DRESIGIVS

GIVS *l. c.* §. *VI.* Alia etiam nota myſtica id factum fuiſſe, BVCHERVS et EWALDVS *locis citatis*, nec non ZORNIVS in *opuſculis ſacris, Tom. I. pag.* 167. perhibent. Quem in corpore regis Ioiakimi talia ſtigmata inuenta ſtatuiſſe commemoraui, VATABLVS praeeuntes hac in re habuit LYRAM et DIONYSIVM Carthuſianum, nonnullos etiam ex Rabbinis. Interim ex ipſo textu de ſtigmatibus aut notis, in corpore occiſi Ioiakimi inuentis, firmi nil colligere licet. Longe ſimplicius enim redduntur illa verba hunc in modum: *et quod inuentum eſt in eo.* Quod vel ad occulta eius peccata, a Deo in apricum tandem producta, vel in ſpecie ad rebellionis crimen, reſpicit, de quo 2. Reg. XXIV. 1. Poſterius IVNIO in *notis* placet, verba iſta ſic reddenti: *quod deprehenſum eſt in eo.* LVTHERVS inde bene etiam ea expreſſit: *Was aber mehr von Ioiakim zu ſagen iſt, vnd ſeine Greuel, die er thät, vnd die an ihm gefunden worden,* (occulta peccata in ipſo a Deo tandem detecta) *ſiehe die ſind geſchrieben etc.* IVNII tamen verſio prae ceteris videtur ſalutanda eſſe commoda.

XXXIX.

XXXIX.

MARC. V. 38.

Haud leue fuit detrimentum, quod ſaepius attulit rei, et hermeneuticae inprimis, ſacrae graecarum litterarum ignorantia. Exemplum huius rei dedit quoque BEZA, vocabulum αλαλαζειν, quod hoc loco legitur in luctu ac triſtitia ab euangeliſta vſurpatum, dum ab vſu aliorum Graeciae ſcriptorum putavit alienum, hincque de mendo locum iſtum habuit ſuſpectum, legere proinde ολολυζειν, iubens. Minime vero ad tale quid audendum animum aduertiſſet BEZA, ſi vocem hancce recte intellexiſſet. Deriuatur ea ſcilicet a voce αλαλη, dorice αλαλα, excitandi vocula, vti CHRISTIANVS STOCKIVS in *claue linguae ſanctae noui teſtamenti, p. m.* 67. docet, qua milites pugnam inituri, vel inita ea vtebantur, ſpe victoriae, per eam ſe mutuo, ad ſtrenue et animoſe agendum, excitantes. Confirmatur id ipſa ſcriptorum graecorum auctoritate. Quam in rem vid. ARRIANVS *lib. VII. de rebus Alexandri Magni, p.* 446. et *lib. I. pag.* 16. 41. nec non *de rebus Indicis, pag.* 557. APPIANVS, *lib. III. de bellis ciuilibus, pag.* 925. POLIBIVS, *lib. XV. cap.* 976. FLAVIVS IOSEPHVS, *lib. V. antiquit. Iud. cap. IX. pag.* 5. et PHILOSTRATVS,

TVS, *lib. II. cap. XI. pag.* 60. Etiam, poſt pugnam feliciter peractam et victoriam partam, eiusmodi clamorem excitabant milites, hoſtes vt in fuga perſequerentur; de quo vid. ARRIANVS, *lib. I. de rebus Alexandri magni, pag.* 15. et APPIANVS *loc. cit. lib. V. pag.* 1170. Proprie ergo αλαλαζω nihil aliud ſignificat, quam *militis inſtar clamare: alala!* Verum vſurpatur illud vocabulum etiam de remigantium clamore, dum alter ſcilicet alterum ad laborem incitabat, qui clamor alias dicitur κελευσμα vid. ARRIANVS, *de rebus Alex. M. lib. VI. p.* 383. et *de rebus Indicis, pag.* 567. Acerbi ergo nihil eſt, quod proprium quaſi huic verbo dicendum, cum allatae hactenus ſignificationes laetantium potius fuerint.

Sed contrario etiam ſenſu, nempe de eiulantibus ac lamentantibus, adhibetur illud, tum hoc noſtro loco, tum et apud profanos alios auctores, quorum loca in medium afferunt ſcriptores a b. WOLFIO *vol. I. curarum, pag.* 460. allegati. Ex quo contra BEZAM conſtat', non *iubilandi* ſolum, ſed et *eiulandi*, notionem habere αλαλαζειν. Quare etiam cum κλαιω, *fleo*, coniungitur. Iam vero cum Iac. VI. 1. in ſenſu triſti atque lamentandi ολολυζειν vſurpetur, quo de vocabulo ſcriptores bene multos laudat WOLFIVS in *Curis* ſuis *ad iſtum*

iſtum locum, errorem a ſcribis in noſtro Marci loco commiſſum eſſe, ratus BEZA, pro, αλαλαζειν, ibi legi ολολυζειν, voluit. Cum quo ferme conſentit EDVARDVS LEIGH in *critica ſacra noui teſtamenti, p. m.* 14. *a.* et 226. *a.* Prouti autem hoc opus non eſt, talem commiſſum a ſcribis errorem vt hic ſtatuamus, ita nec neceſſe eſt, ſcriptoribus pure graecis vt opponamus diuum euangeliſtam Marcum, et, quaſi non cum illis, ſed LXX. interpretibus ſaltem locutus fuerit, *eiulandi* ſenſum verbo αλαλαζειν tribuens, aſſeramus, quod fecere GROTIVS et LVDOV. DE DIEV *ad h. l.* nec non IO. MICH. DILHERRVS in diſputatione *de phraſeologia noui teſtamenti*, anno MDCXXXV. habita, et recuſa *tom. I. diſputationum academicarum, pag.* 299. *ſeqq.* §. *X.* Puriſſimos enim ſcriptores eodem modo locutos fuiſſe, demonſtrarunt, quos WOLFIVM citaſſe ſupra monui.

Quod ad verbum ολολυζειν autem attinet, in ſpecie contra BEZAM obſeruat in breuibus ſuis *ad IV. Euangeliſtas et Acta Apoſtolorum notis, ad h. l.* CASAVBONVS, ſecundum propriam ſuam notionem de eo clamore vſurpari illud, quem mactata victima, tollere ſolitae fuerint feminae, cum ſacris intereſſent, Diis ſupplicantes atque pre-

precantes. Docet id EVSTATHIVS, *ad Homeri Iliad. ζ. pag.* 643. qui praeterea vocabulum hoc primo generale fuiſſe, quamuis mulierum clamorum deſignans, poſtea vero euaſiſſe ſpecialius obſeruat, de clamore ſupradicto, ſiue de precibus in templis, poſt mactatas victimas, decantatis adhibitum. Numquam ergo, aut rariſſime elegantius graece loquentes niſi in re laeta vſos illo fuiſſe, CASAVBONVS ea propter autumat, imo a veteribus irriſos fuiſſe LXX. narrat, quod ab ὀδυρεσθαι diſtinguere neſciuiſſent ὀλολυζειν, hocque Ieſa. XV. 2. LII. 5. LIII. 6. Ierem. XLVI. 20. 31. et in locis aliis quam plurimis de lamentationibus adhibuerint. Vid. pluribus Scriptores, a b. WOLFIO *ad Iacobi loc. cit.* nominati, et EDVARDVS LEIGH, *loc. cit. pag.* 226. *a.* Verum enimuero fruſtra ἀκριβολογιας LXX. interpretes accuſarunt hi viri docti. Teſtatur namque EVSTATHIVS, *ad Homer. Odyſſ. γ. pag.* 1476. ſcriptores, qui poſt Homerum verbum iſtud vſurpauerint, de rebus triſtioribus et fletu id adhibuiſſe, licet non ita, ſed de re laeta vſus eo Homerus fuerit. Idem diſerte quoque *ad Odyſſ. X. pag.* 1932. ait, quod recentiorum ſit, vſurpare in threnis atque lamentationibus hoc verbum, cui et conforme eſt, quod *ad Iliad. ζ. pag.* 643. dicit, vbi exemplum ex auctore, quem non nominat,

minat, (est vero SOPHOCLES in *electra, vers.* 751.) affert, iuuenis vbi mortuus deploratur, et verbum adhibetur συνολολυζειν. Nec erat, accurate si velimus rem diiudicare, prorsus absque luctu clamor ille mulierum, quo apud victimas in supplicationibus ac precibus templa resonabant. Hinc EVSTATHIVS *loco* supra *citato* ολολυζειν exponit per συν οικτω ευχεσθαι, *cum eiulatu orare.* Similiter et apud AESCHYLVM in *choephoris v.* 384. ολολυγμος est *eiulatus et planctus, ob aliquem interfectum.* Imo HOMERVS ipse βατραχομυομαχια *v.* 100. in re tristi describenda verbo ολολυζειν vtitur; si modo huius carminis HOMERVS ipse auctor salutandus, cum alias Pigretem, Artemisiae, quae erat Mausoli coniux, fratrem, pro auctore istius eruditi habeant. Eodem modo legimus illud quoque adhibitum apud LVCIANVM, *in somnio, tom. I. operum, pag.* 4. APPIANVM, *de bellis Punicis, pag.* 70. et *lib. III. de bellis ciuilibus, p.* 908. Quam significationem de ολολυζειν pariter, ac αλαλαζειν agnoscunt HESYCHIVS et SVIDAS, in suis *lexicis*, nec non CYRILLI ac PHILOXENII *glossaria graeco-latina, et latino-graeca.* Quare non est, quod hic obuertant contra sentientes, nouum esse ac inusitatum, si vni eidemque voci tribuantur significationes oppositae, et quasi contradictoriae. Accidit enim idem in aliis quo-

quoque linguis. Eadem ratione υμνος, *laetam* proprie *cantionem* denotans, apud ANACREONTEM de lamentationibus vſurpatur, vt obſeruat EVSTATHIVS, *ad Iliad. γ. pag.* 928. Quare et υμνεω, quod proprie *carminibus laudo* ſignificat, de famoſis ſaepe carminibus adhibetur, quibus non laudamur, verum diffamamur. Vid. PLATO *lib. I. de republica, ſub initium*, et AESCHYLVS *tragoed. II.* quae dicitur *contra Thebas, v.* 7. Conf. HENR. STEPHANVS in *annotationibus in Aeſchylum, p.* 680. *ſeq.* et EVSTATHIVS, *ad Iliad. ζ. pag.* 634. Plura graeca vocabula, oppoſitas quae habent notiones, exhibet THOMAS GATAKERVS in *diatribe contra Pfochenium, pag.* 23. *ſeqq.* Hebraeas voces, huc pertinentes, recenſet EDVARDVS LEIGH in *critica ſacra vet. teſt.* paſſim, e. g. vox ברך, יחד, סכל etc. De latinis conf. THEOD. HACKSPANIVS in *Miſcellaneis, p.* 135. *ſeq.* vbi circa vocem חטאה contra CHAMIERIVM diſputat, qui negat, illam et peccatum ipſum, et ſacrificium pro peccato, ſignificare. Quam in rem idem etiam in *notis philologico-theologicis ad varia et diuerſa ſcripturae loca, part. II. pag.* 857. *et* LEIGHIVS *loc. cit. pag.* 64. *b.* relegi poterunt.

XL.

MATTH. II. 2.

Satis amplam dedit eruditis hac de ſtella diſſerendi occaſionem praeſens Matthaei euangeliſtae locus, quos pro more ſuo, i. e. cum cura, recenſet deſideratiſſimus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis ſuis ad h. l.* Nos ſaltem CHRYSOSTOMI mentionem facimus et THEOPHYLACTI, qui ſtellam hanc fuiſſe cenſent *δυναμιν τινα αοραϛον και αγγελικην εις τυπον αϛερος εμφαινομενην*, angelicam quandam virtutem, quae ſub ſtellae figura magis apparuerit. Nulla autem eſt, quae a textu ſacro abire et ex ſtella angelum nos facere iubeat, cauſa. Angelorum miniſterio ſi vti hic Deo placuiſſet, absque ſideris figura facile id potuiſſet; nec ſiderum corpora aſſumſiſſe angelos, alibi legimus. Multo minus probatur, quod de Spiritu ſancto ſcribit auctor operis *de mirabilibus ſcripturae, Lib. III. cap. IV.* falſo AVGVSTINO *tom. X. XIII.* attributi. Vid. MARCI FRID. WENDELINI *contemplat. phyſicae, Sect. III. cap. X.* Inter diuerſas de ratione, qua ex apparitione huius ſtellae colligere magi potuerint, regem Iudaeorum eſſe natum, ſententias a HERM. AB ELSWICH in diſſ. *de magis, ſtella duce Bethlehemum profectis*, Wittebergae MDCCXVI. habita

habita, *p.* 15. *ſeq.* recenſitas, eam optimam, et veterum pariter ac recentiorum ſuffragiis bene multis comprobatam eſſe, iudicat beatus WOLFIVS *l. c. p.* 30. quae apparitionem ſtellae cum ſingulari Dei reuelatione, quocunque demum modo illa facta fuerit, coniunctam fuiſſe, affirmat. Vaticinia de iſta ſtella olim exſtitiſſe, putat ORIGENES *homil. XIII. in Num.* quibus eruditi magi itineri ſe accinxerint. Quod vero perquam ſimile nonnullis viſum fuit, nec dubium, quin ſancti patriarchae eorumque filii in ſcholis ſuis ſimilia multa vaticinia olim propoſuerint, quae in gentilium deinde manus peruenerint. Meminit huius ſtellae CHALCIDIVS, philoſophus Platonicus, quem ſub finem IV. ſeculi chriſtianum nonnulli, alii gentilem fuiſſe perhibent, in *commentario ſuper Timaeum Platonis: Stella illa,* inquit, *non fuit morbus aut mortem denuncians, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanae conſeruationis rerumque mortalium gratiam: quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent chaldaeorum profecto ſapientes viri et conſideratione rerum coeleſtium ſatis exercitati, quaeſiſſe dicuntur recentem ortum Dei.* De diſparitione huius ſtellae fabuloſum eſt, quod GREGORIVS Turonenſis et ex eodem IO. BELETH, Theologus Pariſinus, in *rationali diuinorum officiorum, cap. LXXIII.* ſcribit,

illam tandem in puteum quendam Bethlehem recidiſſe et in fundo putei illius potuiſſe tantum videri ab iis, qui virgines erant. Conf. IAC. HERRENSCHMIDIVS in *oſculologia theologico-philologica*, *p.* 272. Alias de ſtella magorum quaeſtiones habet PHILIPPVS BOSQVIER in *operibus*, *pagin.* 472.

XLI.

IOANN. XIV. 16.

Rabbini, Talmudiſtae atque Targumiſtae quomodo vocem παρακλητος vſurpent, docet IO. DRVSIVS in *praeteritis*, *ad h. l.* vbi varia ex iis loca adducit, et inter alia ad Lexicon Baal-Aruch prouocat. Conf. et IO. BVXTORFIVS in *lexico maiori rabbinico-talmudico*, voc. פרקליט. nec non HVGO GROTIVS et LVDOVICVS DE DIEV in *commentariis ad h. l.* Alia notione gaudere vocem hanc apud Rabbinos atque Talmudiſtas, quam apud Graecos, interpretes ſcriptorum Rabbinicorum volunt. Sed falſum eſſe hoc aſſertum, patebit ex dicendis. Graecum origine eſſe illud vocabulum, fatentur omnes, a παρακαλεω deriuatum. Hoc vero quemadmodum a καλειν, *vocare*, deſcendit, ita plerumque *aduocare* notat, reſpectu quaſi ad locum vel perſonam habi-

to.

to. Abſolute autem poſitum το παρακαλειν notat etiam *cauſae patronum aduocare* apud AESCHINVM in *oratione contra Cteſiphontem, pag.* 303. Quare facile apparet, vnde graecis παρακλητος dicatur *aduocatus*, coram tribunali qui clienti adſtat, iura eius defendit, ipſique, quid ad defendendam ſuam cauſam eſt dicendum, ſuggerit: Saepe ita occurrit vox haec apud DEMOSTHENEM aliosque ſcriptores graecos, vti in Gloſſariis Lexicisque videre eſt. Et opponitur quidem hoc ſignificatu τω κατηγορω, qui pro actore aduerſus reum agit. Συνηγορος autem ille dicitur, qui pro reo agit eiusdemque partem defendit.

Bene proinde Spiritus ſanctus noſter ſalutatur παρακλητος et συνηγορος, aduerſus diabolum, qui Apoc. XII. 10. κατηγορος noſter audit, nos defendens. Conf. de ceteris vocabuli παρακαλεω et παρακλητος notionibus IO. CASP. SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico, tom. II.* EDVARDVS LEIGH in *critica ſacra nou. teſt.* aliique ſcriptores a b. WOLFIO indicati *vol. I. curarum, pag.* 943. *ſeq.* Plerique hoc Ioannis loco per *aduocatum* illud vertunt, e. g. BEZA, PISCATOR, ERASMVS SCHMIDIVS, MATTH. FLACIVS, VICTORINVS STRIGELIVS, aliique; vti ex veteribus TERTVLLIANVS, *cap. IX. aduerſus Praxiam, pag.* 847. et *cap. III. de*

monogamia, pag. 952. PAVLINVS Aquileienſis in *ſacro-ſyllabo, ſiue libello de ſanctiſſima trinitate;* citante hos duos SVICERO *l. c.* Impropriam eſſe verbi παρακαλεω notionem SVIDAS in *lexico* ſuo ſcribit, quando *oro, rogo, obſecro* denotat. Haud accurate ergo iudicaſſent, illum ſi audiamus, qui in obſecrandi vel orandi ſignificatione vocem hanc accipiunt; nec recte quoque Paulus ſcripſiſſe Rom. XII. 8. dicendus eſſet, qui eadem ratione vocabulum iſtud ibidem adhibet. Sed errat SVIDAS. Vtuntur enim dicto modo optimi ſcriptores graeci voce παρακαλειν. Et ſcribit ipſe SVIDAS *voc.* παρακλητος, Lycurgum, oratorem graecum, pro δεησει vſurpaſſe παρακλησιν. Vid. THOMAE GATAKERI *aduerſaria ſacra, cap. XXXV.* et *dictionarium* CARPOCRATIONIS, ex decem rhetoribus graeciae conflatum, quorum vitas PLVTARCHVS *tom. II. vitarum* deſcriptas dedit. Nec aduerſatur ipſi aduocati officio notio haecce, cum pars potius illius ſit obſecrare, orare atque intercedere pro cliente ſuo apud iudicem. Imo quoniam et aduocati eſt, vt conſuletur et in rebus dubiis erigat clientem, conſolandi ſignificatio optimo iure vtrique voci competit; vti apud HESYCHIVM per παραμυθην explicatur ο παρακλητος.

Vo-

Volunt auctores ſupra allegati, vocabuli huius, origine graeci, ad Iudaeos quando translatum illud fuit, mutatam ſignificationem atque vſum eſſe, ab his vero accepiſſe euangeliſtas et apoſtolos, Iudaicoque illud adhibuiſſe ſenſu, h. e. ſenſu aduocati. Communis haec eſt ſententia eorum, qui pro ficta illa lingua Helleniſtica decertant, indeque nec Ioannem euangeliſtam citato loco in *conſolandi*, ſed *aduocandi* ſignificatu vocem παρακλητον accepiſſe. Illo contra, *conſolandi* nempe, ſenſu accepit illam hic ERASMVS, eumque ſecutus LVTHERVS, nec non IOANNES LIGHTFOOTVS, eximie alias orientalis literaturae peritus, in *horis* ſuis *hebraicis et talmudicis, ad h. l.* vbi addit, vocem hanc, licet apud Iudaeos aduocatum notet, apud Ioannem tamen conſolatorem indicare, idque probat α) quia inter nomina Meſſiae nomen quoque conſolatoris, מנחם, occurrat, proptereaque dies Meſſiae vulgatiſſime apud Rabbinos dicantur *conſolationis dies*; qua ratione verba Luc. II. 25. etiam explicat de exſpectatione aduentus Meſſiae, futuri Iſraëlitici gentis conſolatoris; β) ex contextu, quoniam nimirum Seruator de eiusmodi officio Spiritus ſancti loqui hic debuerit, quod quadraret in praeſentem diſcipulorum ſtatum; hic vero talis fuerit, vt, oratione ſeruatoris de mox inſtanti diſceſſu ſuo contri-

ſtati, indiguerint maxime conſolatore; hinc tanquam *conſolatorem* quoque promitti illis a ſeruatore Spiritum ſanctum putat. Interim refutare hanc ſententiam conatur FRANCISCVS GOMARVS *tom. I. operam, pag.* 370. verſionem τον παρακλητον per *conſolatorem* prorſus reiiciens, et ſignificationem *aduocati* cum DRVSIO vrgens, quoniam, licet frequens ſit huius vocabuli apud Talmudiſtas vſus, numquam id pro *conſolatore*, ſed pro *aduocato* ſemper accipiatur. Laudat propterea GOMARVM eundemque ſequitur LVDOVICVS DE DIEV. Sed adduci multo plures ex veteribus pariter ac recentioribus poſſunt, qui vna cum ERASMO, LVTHERO et LIGHTFOOTO *conſolandi* hic ſignificatum praeferunt. Vid. ex veteribus ORIGENES *lib. II. de principiis, cap. VII.* EPIPHANIVS *haereſ. LXVI.* CHRYSOSTOMVS *homil. LXXV. in Ioannem*, THEOPHILACTVS *in Ioan. XIV. pag.* 774. CYRILLVS Hieroſolymitanus *catecheſ. XVI.* THEODORVS Mopsueſtenus in *catena* ſua *ad Io. XIV. pag.* 366. THEOPHANES *homil. LVI. pag.* 382. Ex recentioribus eandem ſententiam ſuam fecit THEOD. BEZA in *confeſſione, cap. IV. Sect. LII.* at alteram *aduocato* explicationem in *annotationibus ad nou. teſt.* et in *verſione* ſua *noui teſtamenti*, ſecutus eſt, cuius aeque ac patrum allegatorum verba leguntur

apud

apud SVICERVM in *theſauro eccleſiaſtico, tom. II.* Idem vero hic SVICERVS cum iis facit, qui apud Rabbinos non pro *conſolatore*, ſed pro *aduocato* vſurpari του παρακλητου vocem contendunt. Sed refutauit hanc ſententiam IO. CAMERO *myrothecio ad Io. XIV. 16.* in contrarium monens, quod pro *conſolatore* adhibeatur vocabulum פרקליטא in chaldaica paraphraſi Iob. XVI. 20. Vlterius tamen hic progreditur, et vocem παρακλητον in commemorata chaldaica lingua pariter ac noſtro Ioannis loco vult deſignare *oratorem, interpretem*, ſeu *doctorem*, qui concinne, eleganter et accommodate nimirum loquitur, vt ſoletur, vt doceat. Coniungit ergo et *docendi* et *conſolandi* ſignificationem, quoniam vtrumque ſit Spiritus ſancti officium, vt non conſoletur tantum, ſed etiam doceat, nosque, quomodo ſit orandum, aut quid agendum, inſtruat. Nec male quadrat hoc in praeſentem diſcipulorum, cum promitteret iis Spiritum ſanctum Seruator, hocque pariter eius officio indigerent illi, ſtatum. Vrget vero, id vt demonſtret, CAMERO, quod *oratorem* ac *interpretem* talem ſeu *doctorem* ſignificat vocabulum פרקליטא; hocque inde probat, quod Iob. XXXIII. 23. pro hebraea voce מליץ in Targum vſurpetur פקרליטא.

Mihi, ſi dicendum quod res eſt, omnes hae variae variorum ſententiae optime conciliari poſſe videntur, ſi omnes iſti ſignificatus, et *conſolandi*, et *docendi*, et *aduocati* quoque, coniungamus ac ſimul a Seruatore hic intelligi dicamus. Nec enim impedit, quominus ita ſentiamus, aliquid. Pulcherrime potius ea omnia in perſona officioque aduocati conueniunt. Vid. ſcriptores a b. WOLFIO *loco* ſupra iam *citato* allegati: Eodem tendunt ex veteribus etiam AMMONIVS in *catena in Io. XIV. p.* 364. AVGVSTINVS *de ſermonibus domini in monte, lib. I.* et *in Ioannem, tract. XCIV.* ISIDORVS, Hiſpalenſis, *lib. VII. origin. cap. III.* et GREGORIVS Magnus *homil. XXX. in euangeliſtas*, quorum verba affert SVICERVS *l. c.*

XLII.

1. REG. VI. 7.

Quanam ratione fieri hoc potuerit, vt nec malleum, nec ſecurim, nec inſtrumentum ferreum in aedificatione templi vſurpatum fuerit? quaerunt hoc loco interpretes, et variae ſunt illius explanationes, breuiter recenſitae a IOANNE SAVBERTO *de ſacrificiis veterum, cap. XV. pag.* 352. ſunt qui Salomonem vermem ad ſecandos lapi-

capites adhibuiſſe putant. Vid. VINCENTIVS *lib. XX. hiſt. natur. cap. CLXX.* et SIMON MAIOLVS, Vultuarienſis epiſcopus, *tom. I. diernm canicularium, colloqu. V. pag.* 90. vbi hunc in modum; " *Thanur di-*
" *citur vermis Salomonis. Salomon enim*
" *cum marmor Parium ad aedificationem*
" *templi e remotis partibus conuehi iuſſiſſet,*
" *conſcius prohibitionis legis, quae vetuit al-*
" *taris aedificandi lapides ferro incidi, quae-*
" *ſiuit experimentum in vermibus, quod ars*
" *humana neſciuit. Nam pullum Struthio-*
" *nis in vitreo vaſe recluſit, quem cum vide-*
" *ret Struthio et habere nequiret, naturali-*
" *ter agnitam artem attentans ad deſertum*
" *cucurrit, rediensque vermiculum tulit,*
" *cuius ſanguine vitrum liniuit, et confractum*
" *eſt, ſicque foetum eripuit. Quod videns*
" *Salomon hoc experimento, eodem genere*
" *vermi in inciſione duriſſimi marmoris*
" *vſus eſt.* „ Hactenus MAIOLVS *l. c.* Deinde vero *colloqu. XIII.* poſtquam hanc opinionem recenſuerat *pag.* 332. *a.* haec addit: " *ſed mea quidem ſententia illis ſcal-*
" *pendis marmoribus, priusquam aedificio*
" *ſtatuerentur, cenaeo, malleis et ſecuribus,*
" *atque aliis ferreis inſtrumentis ſciſſa, ſcul-*
" *pta et adaequata fuiſſe: at cum in tem-*
" *plum pertraherentur locarenturque ſuis lo-*
" *cis, ibi nil fuerit malleorum viſum aut au-*
" *ditum; ſed cum componeretur, vt lubrici-*

" *tate*

„ tate labor leuaretur, is vermiculus in vſu „ fuerit.„

XLIII.

Exod. XXI. 21. 22. 23.

In lege hac de muliere petcuſſa ONKELOS *Vulgata*, SANTES PAGNINVS, HVGO GROTIVS et alii hebraeam vocem אסון *mortem* interpretantur, hunc in modum: *ſi non fuerit mors*, ac paulo poſt: *et ſi fuerit mors.* Verum, ſi dicendum, quod res eſt, minus accurate. Vox enim אסון hoc loco *noxam* in genere ſignificat, ſiue mors fuerit, ſiue laeſio tantum aut ademtio membri alicuius, e. g. oculi, dentis, manus aut pedis, vti ex comm. 23. 24. 25. conſtat. Quare optime et accurate vertit diuus LVTHERVS noſter *ein Schade.* Nec commode aliter aut ſupra dicta ratione accipi vocabulum אסון poteſt hocce loco. Quodſi cuius mortem ſignificaret, ſatis fuiſſet dicere: *reddet animam pro anima.* Iam vero additur: *reddet oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede etc.* Vnde tam late hic vſurpari vocem iſtam patet, vt etiam priuationem aut mutilationem huius vel illius membri includat. Num vero ad ſolam matrem cum LVTHERO, *Vulgata*, PAVLO FAGIO aliisque noxa haec ſit reſtrin-

reſtringenda, dubitauerim. Cum enim abſolute in textu dicatur: *ſi fuerit noxa*, et mox: *ſi non fuerit noxa*; tam ad matrem, quam infantem referri debere videtur. Sentiunt ita et, vt puto, rectius LYRANVS, CAIETANVS, CALVINVS, SIXTINVS AB AMAMA, PISCATOR atque GROTIVS. Video hanc etiam ſumme reuerendo ZEIBICHIO arridere opinionem in *biblicis exegeticis*, *ad h. l.*

XLIV.

IESA. XIII. 21.

Quando daemonibus hoc loco ſe ceſſurum eſſe prouincias Deus minatur, obſeruandum, quod ſedes quaſi et ordinaria habitacula daemonum credita veteribus fuerint deſerta. Ipſam ſcripturam ſacram a deſertis, quae frequentius incolant, locis, nomina imponere ipſis, bene monet PETRVS ZORNIVS in *bibliotheca antiquario-exegetica*, *pag.* 515. *ſeq.* nec videre ſe profitetur b. IO. CHRIST. WOLFIVS in *curis philologicis et criticis*, *vol. I. pag.* 223. id cur non credi queat. Certe, qui conſulere diabolos voluerunt, pergere in ſolitudinem ſolitos fuiſſe, veterum auctorum loca ſatis multa docent. Refert v. g. de Mithrobarzane mago illud LVCIANVS in *necyo-*

necyomanth. pag. 160. Barbarus item ille, qui arcana de daemonibus Cleombroto narrat apud PLVTARCHVM *de orac. def. pag.* 421. in eremis συν ταις νυμφαις και δαιμοσι degebat. Notari etiam eiusdem moris cultores a diuo Iesaia vate cap. LXV. 4. existimat, locum hunc ita explicans, SCHINDLERVS in *lexico pentaglotto, col.* 1154. Confirmatur illud vel ex eo porro, quod deserta pariter homines, daemonibus agitati, petere consueuerint, vti IVLIANVS docet in *fragment. pag.* 288. Conf. IAC. ELSNERVS in *obseruationibus sacris, tom. I. pag.* 217. et SPENCERVS *lib. III. dissert. VIII. cap. III. pag.* 461. Verba autem sanctissimi seruatoris Matth. XII. 43. illuc plane non spectare volunt GODOFR. OLEARIVS in *obseruationibus ad Matthaeum, pag.* 407. et THEOPHILVS AMELIVS, siue qui sub hoc nomine latet, PETRVS ZORNIVS in *der Erörterung der dunkelsten vnd schwersten Schriftstellen des neuen Testaments, tom. II. p.* 149. quamuis mihi non inepta videatur contraria sententia, vti nec b. WOLFIO *loco* iam *citato.*

XLV.

XLV.

MATTH. I. 25. LVC. II. 7.

Eſt communis haec natura nominum ex praeterito medio compoſitorum, vt, accentus quando ponitur in antepenultima, ſignificatione gaudeant paſſiua, actiua vero, ſi in penultima accentus collocatur. Obuium in duobus hiſce locis vocabulum πρωτοτοκος praecipuum poteſt eſſe iſtius canonis exemplum. Vid. EVSTATHIVS *ad Homerum Iliad. γ. pag.* 423. *et ζ. pag.* 642. *nec non μ. pag.* 407. de eo vbi diſputat, num hoc duntaxat criterium ſeu nota in compoſitis cum nomine valeat, an vero in compoſitis etiam cum particulis? vti v. g. αμφίπολος, quod ex particula αμφι et verbo πολεω componitur, differt ab αμφιπόλος. Vix autem deprehenduntur apud auctores eiusmodi compoſitorum exempla praeter compoſita cum nominibus. Conf. *Sylloge vocabulorum ſiue ſpiritu, ſiue ſono et accentus locatione differentium*, vulgo quae PHILOXENO, grammatico Alexandrino, aut CYRILLO tribuitur, et in SCAPVLAE *lexico* ad finem legitur, nec non, qui ad calcem eiusdem lexici deprehenditur graece conſcriptus AMMIANI *de ſimilibus et differentibus vocibus liber*, graeca exponens vocabula, quae videntur eſſe ſynonyma, at reuera

reuera tamen a ſe inuicem differunt. Docet ipſe etiam HOMERVS *Iliad.* ϱ. *v.* 5. quid πρωτοτοκος ſit, ſcilicet partum quae non antea experta fuit, vti apud THEOCRITVM capra dicitur primipara. Infert autem non tam ad id, quod ſecutum eſt, vox πρωτοτοκος, ſed ad id, quod anteceſſit; id enim negat. Proprie namque πρωτοτοκος eſt, quem in partu nemo anteceſſit; ſiue ſequantur deinde alii, ſiue minus. Acceperunt ita illam vocem veteris eccleſiae doctores Graeci, quos ſane fugere non poterat vera illius ſignificatio. Vid. IO. CASP. SVICERI *theſaurus eccleſiaſticus, tom. II. pag.* 879. aliique ſcriptores a ſummo quondam noſtro IO. CHRIST. WOLFIO allegati in *curis philologicis et criticis, vol. III. pag.* 285. Conf. et *vol. I. pag.* 25. Confirmatur etiam iſta tum ex Synonymo, quod in hebraea lingua eius habetur, tum ex ipſa antiquitate Iudaica. Hebraeis primogenitus eſt בחור, quem vocem LXX. interpretes vertunt per πρωτοτοκος. Exponitur vero בחור Exod. XIII. 2. et Num. VIII. 16. per eum, qui primus vterum matris ſuae aperit. Nec aliter in nouo teſtamento is deſcribitur Luc. II. 23. Quod ad argumenta ex antiquitate hebraea depromenda attinet, offerri ſibi tam ex animantibus brutis, quam hominibus iuſſerat ſupremum Numen primogenitos. Iam conſtare tunc

ſane.

ſane nulli poterat, vtrum poſt hunc primogenitum talem ſiue hominem ſiue animans brutum ſit adhuc naſcendum aliud futurum, necne. Et tamen offerri id iubebatur, primum quod ex matris vtero exierat, Exod. XXII. 30. Nominat eadem ratione populum Iſraëliticum abſolute, nec habita alias ad gentes relatione, primogenitum ſuum. Sic multum quoque Aegyptiorum inter primogenitos occiſos fuiſſe dubio caret, qui fuere ſoli a parentibus ſuis progeniti, nullis eos ſequentibus vel fratribus vel ſororibus: et dicuntur tamen primogeniti, non habito ad ſubſequentes reſpectu, ſed quia nati primi erant. Terminis ſi velimus hic vti philoſophicis, diſtinguendum eſſet inter abſolute et negatiue primum, alii quem ſequuntur nulli; et inter relate et poſitiue primum, alii quem, tanquam ordine primum, ſequuntur. Iam prior ex his conuenit primario voci πρωτοτοκος ſignificatio, vt abſolute atque negatiue primum ſignificet, ante quem natus nemo eſt, non reſpiciendo ſubſequentes, ſiue ſint illi, ſiue minus. Vſurpant eodem prorſus modo Latini vocabulum *primus*. Conf. HONORATVS SERVIVS in *commentario ad Virgilium, Aeneid. lib. I.*

Facile ergo patet, quam lubrico, imo vano, fundamento ipſa hac ex voce, quod

poſt Chriſtum ſeruatorem alios Ioſepho liberos pepererit Maria, euincere conatus fuerit notus ille quarti ſeculi haereticus HELVIDIVS; quam eandem ſententiam *Antidico-Marianitis* tribuit EPIPHANIVS. Obſeruant autem DIONYSIVS PETAVIVS in *annotationibus ad Epiphanii haereſes LXXVIII.* (quae eſt Antidico-Marianitarum) *tom. II. pag.* 331. et LAMBERTVS DANAEVS in *notis ad Auguſtini de haereſibus librum, cap. LVI. pag.* 277. ipſos Heluidianos hos fuiſſe, proprio ita dictos nomine, ſed appellatiuo Antidico-Marianitarum nuncupatos. Conf. AVGVSTINVS in iam citato *de haereſibus libro, haereſ. LXXXIV.* et AMBROSIVS *epiſt. V. et VII.* quorum tamen ille tum ibidem tum *haereſ. LVI.* tanquam a ſe diuerſos diſtinguit Heluidianos et Antidico-Marianitas. Cuius erroris ſimilis non iniuſte accuſantur varii ex veteribus, diuerſa propter dogmata eosdem diſtinguentes haereticos. Ipſo autem de Heluidiano errore prolixe egit FRID. SPANHEMIVS in *dubiis euangelicis, part. I. dub. XXVIII. pag.* 225. *ſeqq.* et 235. *ſeqq.* Conf. et IO. DRVSIVS *part. I. annotationum in nou. teſt. pag.* 2. *ſeqq.*

XLVI.

XLVI.

MATTH. XIV. 13. MARC. VI. 33. ACT. XX. 13.

Πεζα quod pedem ſignificet, ex Lexicis conſtat. Habet autem multa hac de voce notus ille HOMERI ſcholiaſtes EVSTATHIVS ad *Iliad. δ. pag.* 471. et ad *Iliad. ε. v.* 13. *pag.* 515-539. Sed opus non eſt, vt vel πεζα vel πεζευειν proprie ſemper accipiatur, ita, vt pedibus iter confeciſſe ii iudicentur, de quibus vtraque vox adhibetur. In more namque poſitum eſt ſcriptoribus, vt de animalibus eiusmodi quoque το πεζευειν vſurpent, quae pedibus ſunt deſtituta, vel non vtuntur, quando loco mouentur. Sic apud ARISTOTELEM *lib. III. de generatione animalium, cap. I.* de auibus illud occurrit, vbi diſtinguuntur in ορνιθα λιμναια και πεζευοντα, *aues paluſtres et in agris degentes.* Dicuntur et ſerpentes, pedibus quae carent, πεζευειν et opponuntur piſcibus apud ARISTOTELEM *lib. IV. de part. animal. cap. I.* eam ob cauſam, quod in agris degunt. Το πεζη vero aduerbialiter vſurpatur apud Matthaeum et Marcum, ſub intellecta voce οδω. Vid. LAMB. DANAEVS in *quaeſtionibus in Marcum, ad l. c.* cuius verba prolixe adducit EDVARDVS

LEIGHIVS in *critica ſacra noui teſtamenti, voc.* πεζῃ. Eadem etiam monent SCVLTETVS *obſeruat. ad Marci l. c.* et HEVPELIVS in *euangelio Marci notis grammatico-hiſtorico-criticis illuſtrato, ad l. c.* Haud accurate ergo BEZA atque PISCATOR πεζῃ hic interpretantur *pedibus*; rectius ERASMVS ac FLACIVS vertunt *pedeſtri itinere, zu Lande*, non *zu Fuße*, vti diuus noſter LVTHERVS. Cum DANAEO namque bene monet IO. BVXTORFIVS, citatus a b. WOLFIO *Vol. I. curarum, pag.* 238. adfuiſſe claudos multos atque debiles, pedibus qui iter hoc conficere minus potuerint. Et recte inde quoque Act. XX. 13. *Vulgatus*, vertit: *per terram iter facturus.* Miror autem, circa hunc locum cur *Vulgatam* deſeruerit CORNELIVS A LAPIDE, ita illum explicans: *pedibus per terram ingreſſurus*, et ad CHRYSOSTOMVM prouocans, qui tamen ita verba Lucae interpretatus non eſt, ſed vocabulum πεζευειν retinuit. Hoc ſaltem CHRYSOSTOMVS addit, ſumſiſſe laborioſius ſibi iter Paulum, facilius relinquentem comitibus. Quo ipſo nondum, pedibus transegiſſe illud iter diuum apoſtolum, is affirmat. Obueniunt enim vtique plus in pedeſtri, quam nauali, itinere moleſtiae. Ominari autem facile nobis licet rationem, ob quam pedibus peractum a Paulo apoſtolo iter cupiat hic indicari

cari CORNELIVS A LAPIDE. Probare namque ex hoc loco, ita explicato, varii conantur, numquam admiſiſſe ad iter faciendum equum ſiue mulum apoſtolos, ſed pedibus ſemper vſos, viae aſperitatem itinerisque incommoda cetera libenter ſuſtuliſſe; prouti noti illi ſeculi ſecundi haeretici, Apoſtolici dicti, noſtris vero temporibus Anabaptiſtae. Vid. DANAEVS *loc. cit.* Et laudat eandem in rem ſanctum ſuum Franciſcum fratremque Franciſcanos, pedibus qui numquam non incedunt, CORNELIVS A LAPIDE. His ſeuerum tale vitae genus ſequentibus ſi conciliare apoſtolorum, omnibus vitae commodis pariter abſtinentium, auctoritatem poſſet, rem putaret forte glorioſiorem!

XLVII.

ACTOR. XI. 28.

Dictum a me ſupra fuit, quam varie vocem *οικουμενη* accipiant interpretes, et vtriusque quidem ſignificationis, tam propriae, quam ſynecdochicae, dedi exemplum. In praeſenti loco poſteriorem pariter amplectendam eſſe, facile patet, ſed quaenam terrarum regio intelligi debeat, diſſentiunt inter ſe commentatores. HVGO GROTIVS in *annotationibus ad Matth. XXIV.*

17. familiare Iudaeis eſſe monet, vt Palaeſtinam την οικουμενην vocent, hocque factum inde putat, quod in meditullio της οικουμενης, id eſt, ſecundum eius ſententiam, Iudaeae ſiue Palaeſtinae ſita credatur vrbs Hieroſolyma. Cum GROTIO conſentit FLACIVS in *gloſſa ſuper Luc. II.* 1. per hebraiſmum terram Canaan aliquando την οικουμενην, at vt ſupra iam docui, ſine fundamento, dici credens. Conſentiunt et alii, a b. WOLFIO *vol. I. curarum, pag.* 576. indicati. Ego ſaltem contra GROTIVM monebo, illud, cui ſuam interpretationem ſuperſtruxit, fundamentum quam maxime vacillare. Allegauit quidem is pro more ſuo auctorem, cuius teſtimonio aſſertum ſuum probet, vel exemplum nullum. Interim negari nequit, habere eum in hoc ipſo ſe praeeuntes primitiuae eccleſiae doctores, quando, vrbem Hieroſolymam creditam fuiſſe in meditullio της οικουμενης ſitam, affirmat. At non Iudaeam, vti GROTIVS, ſed vniuerſum orbem intellexerunt per την οικουμενην ita loquentes patres. Vid. TERTVLLIANVS in *carmine* quodam, quod habetur in ipſius *lib. II. contra Marcionem, cap. IV.* CYRILLVS Hieroſolymitanus *catecheſ. XIII.* VICTORINVS, Pictauorum epiſcopus, in *carmine*, quod adducitur a THEOD. BEZA *cap. III. de locis ſanctis*, aliique. Conf. et GERH. IO. VOS-

VOSSII *harmonia euangelica, lib. II. cap. VI.* et LVDOVICI COELII RHODIGINI *antiquae lectiones, lib. XV. cap. XX.* Ratio, ob quam patres, allegoriis et allegoricis explicationibus valde delectati, hanc de situ vrbis Hierosolymae in orbis meditullio sententiam arridere sibi iusserunt, si qua reddenda, haec forte fuit, quod conuenientissimum esse sibi persuaderent, vt in isto loco pateretur mundi seruator; vbi medium sit totius orbis, quo inde quasi e centro in omnes plagas angulosque terrae fructus ipsius passionis diffunderetur. Conf. THOMAS *Aquinas part. III. quaest. XLVI. artic. X.* Originem vero traxit haec fabula ex malo intellecto loco Psalm. LXXIII. 13. vbi operatus esse in medio terrae salutem dicitur Messias.

XLVIII.

DEVTER. XXIV. 1.

Quod frequens Iudaeis fuerit, vxores non ob grauiores solum, sed et leuissimas saepe causas dimittere, satis quidem notum est. Quamuis autem primum maritis tantum id liceret, euenit tamen postea, vt vxores quoque maritis libellum mitterent repudii. Vtrumque morem explicant scriptores, qui de diuortiis apud Hebraeos fue-

re commentati. Praeter commentatores autem ad h. l. et ad Matth. V. 31. XIX. 3. ſq. conferri poterunt IO. BVXTORFIVS in diſſertatione *de ſponſalibus et diuortiis*, Baſileae anno MDCLII. habita, GVILIELMVS SVRENHVSIVS in *Miſchna, tom. II. p.* 322. et IO. SELDENVS in tractatu *de vxore hebraica, lib. III. cap. XVIII. ſeqq.* nec non in *iure naturae et gentium iuxta diſciplinam hebraeorum, lib. V. cap. VII.* CHRIST. GOTTL. FRID. WOLFIVS in ſchediaſmate philologico de *diuortio Iudaeorum.* Lipſiae MDCCXXXIX. 4. aliique ſcriptores citati a b. IO. ALBERTO FABRICIO in *bibliographia antiquaria, cap. XX. §. VII. p. m.* 599. *ſeqq.* Idem etiam de gentibus, a vero Dei cultu alienis, conſtat, inprimis de Romanis, apud quos quidem diuortium per annos amplius quingentos, vel, vt alii volunt, ſexcentos ab vrbe condita inauditum fuit, ab eo autem tempore coepit tam frequenter adhiberi, vt, ob cauſam adeo quamlibet leuiſſimam, a ſocietate matrimoniali recedere, ſas fuerit vxoribus aeque, ac maritis. Tam crebro enim a viris ſuis vxore diuertiſſe, SENECA *lib. III. de beneficiis, cap. XVI.* teſtatur, vt feminae non conſulum, ſed maritorum numero annos ſuos computauerint. Conf. et MARTIALIS *lib. VI. ep. VII.* et IVVENALIS *lib. VI. ſat. XX.* Videantur, quae hac de re pluribus

bus enarrunt PHILIPPVS PICINELLVS in *luminibus reflexis, siue omnium veterum classicorum et ethnicorum auctorum exactissimo consensu cum singulis capitibus ac singulis pene versiculis sacrorum Bibliorum*, Francofurti ad Moenum anno MDCCII. fol. euulgatis, ad Matth. V. 32. IO. DOVGTAEVS in *analectis sacris noui testamenti, pag.* 6. ceterique allegati a FABRICIO *l. c.*

XLIX.

ROM. VIII. 26.

Circa interceſſionem Spiritus ſancti, a diuo Paulo hic commemoratam, diſſentiunt inter ſe interpretes, num proprie ſit intelligenda, necne? Proprie eam intelligunt ex patribus GREGORIVS Nazianzenus *orat. II. de fide*, AMBROSIVS *comment. in Io. XIV.* ex Scholaſticis THOMAS *lib. III. quaeſt. XXI. art. IV.* ex pontificiae eccleſiae doctoribus CORNELIVS A LAPIDE et IACOBVS TIRINVS in *commentariis ad h. l.* Idem placuit ex noſtris STEPH. GERLACHIO *tom. I. diſp. VI. pag.* 604. IO. WIGANDO in *annotationibus in epiſt. ad Romanos, ad h. l.* TILEM. HESHVSIO in *commentario ad h. l.* IO. WESENBECIO item atque CYRIACO SPANGENBERGIO in editis *ſuper epiſtolam ad Romanos concionibus*

germanicis, ad h. l. nec non IVSTO FEVERBORNIO in *ſyntagm. I. part. III. diſſert. III. pag.* 1305. qui autem in eadem non perſtitit ſententia, verum in *faſcic. IV. diſp. VI. §. XXXI. pag.* 661. et *diſp. IX. §. XLII. pag.* 427. eandem deſcribit, variasque rationes affert, ob quas proprie et in perſona non poſſit dici intercedere pro nobis Spiritus ſanctus. Accipiunt proinde alii verbum *intercedere* in ſenſu effectiuo, tranſitiuo ac hiphilico, vti loquitur IO. CONR. DANNHAVERVS in *hodoſophia*, *pag.* 940. ſecundum quem quidem Spiritus ſanctus ita pro nobis intercedere dicatur, vt orare nos faciat, preces nobis ſuggerens etc. Vid. diuus LVTHERVS *in Geneſ. XXX. et XXXII.* NICOLAVS SELNECCERVS, IO. BRENTIVS, AEGIDIVS HVNNIVS, GEORG. MYLIVS, FRID. BALDVINVS, IAC. WILLERVS, LVCAS OSIANDER, FLACIVS et *Paraphraſtae Vinarienſes* ad h. l. addantur et IO. GERHARDVS, in *harmonia euangelica, cap. CLXXVI.* ABRAHAMVS CALOVIVS in *bibliis illuſtratis, ad Io. XIV.* 16. *et Rom. VIII.* 26. PAVLVS TARNOVIVS in *comment. ad Io. XIV.* 16. SAL. GLASSIVS in *philologia ſacra, lib. III. tract. III. canon. XXII. p. m.* 805. *ſeq.* Diſtinguit optime hanc in rem deſideratiſſimus IO. CHRIST. WOLFIVS in *curis phil. et crit. ad h. l.* inter interceſſionem,

ſionem, quam vt mediator vigore meriti ſui Chriſtus ſolus pro nobis ſuſcipit, et inter interceſſionem, ſecundum quam fideles ad clientium inſtar, tanquam aduocatus, Spiritus ſanctus ad precandum excitat, quomodo precandum ſit, inſtruit, ac ſpem votis potiundi implet. Scriptoribus tam ab illo, quam in CHRISTOPH. HENR. SCHETELIGII *bibliotheca diſputationum, part. III. p.* 30. allegatis adde *Acad. Lipſienſis programma* pentecoſtale *de interceſſione Spiritus ſancti pro nobis infirmitatibusque noſtris*, MDCCXI. euulgatum, et *Ienenſis academiae de interceſſione Spiritus ſancti* euulgata anno MDCCXXXV. meditatio pentecoſtalis, auctore IO. GEO. WALCHIO.

L.

MATTH. X. 10.

Senſus quis ſit verus atque genuinus praecepti huius ſeruatoris, ſingulari obſeruatione declarare ſtudui in *diſquiſitionibus* meis *philologicis*, anno MDCCXLI. euulgatis, *pag.* 71. *ſeqq.* Hic ſaltem liceat cum beneuolo lectore communicare explicationem celeberrimi Helmſtadienſis philologi, HERMANNI VON DER HARDT, ex ipſius *collegio exegetico in difficiliora quatuor euangeliſtarum loca* MS. quo ad hunc locum ita ſcri-

ſcribit: „ *Non denegat Chriſtus iuſtam prae-*
„ *ſidiorum itineris poſſeſſionem, ſed ſollici-*
„ *tam acquiſitionem, qui anxie circumſpici-*
„ *ant, vt habeant, vnde viuant. Ne anxie*
„ *corradant ſuperflua et molliora et delica-*
„ *tiora vitae ac itineris adiumenta. Copiam*
„ *argenti, auri vel aeris, ſiue nummorum*
„ *ne cupide quaerant, neque ſarcinas colli-*
„ *gant ſupellectili plenas, neque more diui-*
„ *tum plures veſtes appetant, neque mollio-*
„ *res calceos ambiant, neque pretioſiores ac*
„ *nobiliores ſcipiones circumferant. Quo in-*
„ *terdicto non negat, ſi habeant, ſed ſi non*
„ *habeant, ne de illis parandis ſint ſolliciti.*
„ *Iubetque confidere Deo, et in ſingulis locis*
„ *exſpectare a fidelibus neceſſarium victum et*
„ *amictum. Interdictum proinde hoc deter-*
„ *minatur temporis illius conditione. In pri-*
„ *ma diſcipulorum functione ſumme neceſſa-*
„ *rium erat omnem lucri declinare ſpeciem.*
„ *Ne conuertendi et conuerſi ab euangelio ab-*
„ *ſterrerentur lucri quaeſiti ſuſpicione. De-*
„ *inde, ne onerarentur conuerſi et conuertendi*
„ *nummis multis in illos erogandis, et ne*
„ *anſa daretur extorquendi a conuerſis num-*
„ *morum copiam, ſub praetextu victus et*
„ *amictus parandi, itineris inſtituendi, alio-*
„ *rumque incommodorum declinandorum.*
„ *Hinc manifeſte iuſſerat Chriſtus, euange-*
„ *lium gratis nunciare, ſicuti gratis a Chriſto*
„ *accepiſſent. Praeterea euitari ſuſpicionem*

„ *fa-*

" faſtus et ſuperbiae voluit, dum delicatio-
" res veſtes, earumque copiam quaerere et
" circumferre prohibuit. Deinde, ſarcinas
" multas multa in itinere impedimenta pa-
" rare, manifeſtum; et ſumtus illis circum-
" ferendis debentur. Vt igitur itinera tanto
" conficerentur facilius atque promtius, illis
" rebus ſarcinisque multaque ſupellectili illos
" onerari noluit. Omnes itaque illae res di-
" ſcipulis ſunt interdictae, non abſolute, ſed
" quoad effectum, ac illis inhiarent, ſeque
" illis onerarent, cum tenerrima conuerten-
" dorum conſcientia facile poſſit offendi et ter-
" reri, ac multa ſuppellex itineris multa in-
" iiceret impedimenta.

LI.

MARC. VI. 9.

Pugnare locum hunc cum antecedenti et Luc. X. 4. nonnulli autumarunt, apud Matthaeum et Lucam dum prohibeatur a Seruatore apoſtolis ὑποδηματα, apud Marcum vero permittuntur σανδαλια. Graecorum inde quidam, ad tempus ſaltem interdictos apoſtolis fuiſſe calceos, putarunt. Sic enim OECVMENIVS *comment. ad Matth. X.* 10. de Petro quaerens: annon mandatum ille Chriſti transgreſſus fuerit de non geſtandis calceis, ſandaliis, teſte Luca

Act.

Act. XII. 8. vſus? conciliare iſta ſtudet, vt reſpondeat, ad vnicum et primum ſaltem apoſtolorum iter, cum emiſſi primum fuerint LXX. diſcipuli, reſpexiſſe Seruatorem, cum deinde hoc confecto itinere licuerit apoſtolis calceamentis pedes munire. Sed indicatum ſupra a me fuit, quisnam ſit verus ſeruatoris ſenſus. Quam varie autem tollere apparentem hanc contradictionem quaeſiuerint eruditi, docet b. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis* ſuis *ad h. l.* Craſſe ſane omniumque peſſime iudicarunt, qui, corruptum apud Marcum textum ſacrum eſſe, voluerunt, vti v. g. LVCAS OSIANDER et NIC. HEINSIVS *ad h. l.* Conf. AEGIDIVS HVNNIVS in *comment. ad Matth. X.* IO. POLYCARPVS LYSERVS in *continuatione harmoniae euangelicae Chemnitianae, ad h. l.* IO. LIGHTFOOTVS in *horis hebraicis et talmudicis ad l. c. et* SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico, tom. II.* voc. *υποδημα*. Ex illis, qui duo calceorum paria prohibere ſeruatorem putent, HVGONEM GROTIVM praecipue allegat cel. WOLFIVS *l. c.* Et fuit quoque haec ipſius ſententia, ad Matth. X. IO. vti teſtatur. Sed poſtquam legit, quae SALMASIVS citatus a WOLFIO *pag.* 178. diſſeruit, pro adſtruendo inter *υποδημα* et *σανδαλια* diſcrimine, iſtam quoque ſententiam amplexus eſt, nouisque corroborauit argumentis in

anno-

annotat. ad Marc. VI. 9. Placuit ea etiam conciliandi euangeliſtas ratio, praeter auctores a WOLFIO *pag.* 178. et 463. allegatos, IACOBO IANSENIO in *concord. euang. ad Matth. X.* 10. HIERONYMO item, EVTHYMIO, MELDONATO, CORNEL. A LAPIDE, FRANC. TOLETO in *comment. ad eundem* Matthaei *locum*, et IO. TOB. MAIORI *comment. ad Act. XII.* 8. Ad allegorias praeter neceſſitatem aufugit AVGVSTINVS *lib. II. de conſenſu euangeliſtarum, cap. XXX.*

LII.

RVTH. IV. 5. 8.

Plerumque nuptias Boas atque Ruth ex Leuiratus iure ortas, et detractionem calcei hic commemoratam eandem eſſe cum illa exiſtimant, de qua Deuter. XXV. 9. agitur. Hebraei vero, et cum illis alii non ita ſe habere rem et ex iure redemtionis potius Leuit. XXV. 25. ſeqq. nuptias has fluxiſſe ſtatuunt, ritumque calceum exeundi, qui hic legitur adhibitus fuiſſe, diuerſum ab eo iudicant, qui in Deuteronomio praecipitur. Habet etiam, quo ſe commendet haec ſententia. Nec enim erat mariti Ruth defuncti frater Boas, cap. II. 19. 20. nec ad ſeniores in portam venit Ruth, cap. III. 18.

nec

nec ipsa exuit calceum de pede propinqui, nec exspuit in faciem eius dicens: sic fiet viro, fratris qui non vult aedificare domum; quae quidem debuissent ab illa peragi, si ex iure leuiratus acta omnia fuissent. Deuter. XXV. 9. Adde, quod Ruth. IV. 7. expresse dicitur, ritum hunc, quo quis calceum suum detrahebat proximoque dabat, vsitatum apud Israelitas fuisse in venditione et commutatione ad firmandum negotium quodcunque. Vid. IO. IACOBI CRAMERI *theologia Israelis, pag.* 152. *seqq.* CORNELII BONAVENTVRAE BERTRAMI, Geneuensis quondam critici et hebreae linguae professoris, *lucubrationes Franckenthalenses, cap. VI.* et quae ex ABARBANELE adducit IO. BVXTORFIVS *de sponsalibus et diuortiis, num. XXII.* Ceterum consilium Naemi factumque Ruth cap. III. 3 seqq. enarratum tantum abest, vt inhonestum possit vel periculosum nominari, vt potius desiderium hoc nubendi Boas tanquam conueniens diuinae legi iudicandum sit, imo ad spem de Messia collineauerit, bene monente PETRO ALLIX in *considerationibus in quinque libros Mosis*, gallice Londini anno MDCLXXXVII. in forma octuplicata editis. Num vero ex Cap. III. 4. ad pedes, an vero ad latus Boas iecisse Ruth cum cel. CHRISTOPH. AVGVSTO HEVMANNO *tom. II. poeciles, pag.* 160. sit dicenda, iudicent istarum rerum gnari.

LIII.

LIII.

GENES. II. 17.

Et temporalem, et ſpiritualem, et aeternam mortem hoc loco minatum Deum protoplaſtis fuiſſe, recte noſtrates theologi plerique volunt. Sunt quidem, qui ſpiritualem et aeternam per ſe ſolam ſignificari putant, e. g. IO. GERHARDVS *commentario in Geneſin pag.* 31. qui hanc eſſe mortem cenſet, quam lex diuina moralis transgreſſoribus ſuis comminetur, idque patere ait in angelis transgreſſoribus, qui corpus non habent, iuxta quod moriantur, per transgreſſionem tamen et maledictionem legis ſpiritualiter mortui ſint, et in aeternum moriantur. Sed haud euincere tamen ea crediderim, vt excludamus hic temporalem mortem. Data enim de arbore non tangenda lex hominibus erat, ad illos ergo etiam ſpectabat commemorata hic comminatio, qui cum et corpore gauderent et anima, ad illud aeque ac hanc reſpicere minae diuinae morsque illis praedicta poterant, ſiue debebant.

Singularem prorſus circa mortem, quam minatur hic diuinum numen primis mundi incolis, fouet ſententiam IACOBVS ALTINGIVS tum alibi, tum maxime *epiſto-*

la XXVI. ad Wetſtenium, eam nec ſpiritualem fuiſſe contendens, quoniam non malum poenae, ſed culpae haec ſit; nec corporalem, quoniam proxime illa lapſum haud ſuerit ſecuta; ſed aliam mortem intelligens, nempe priuationem ſenſus fauoris diuini cum tormentis et cruciatibus, quos ira Dei infligit. Hanc et Chriſtum pertuliſſe, vult ALTINGIVS, et protoplaſtos, cum vocem Dei, hoc eſt, tonitrua horrenda audiſſent, ac fulgetra extimuiſſent, in eo terrore et inexplicabilibus tormentis integram eos ſudaſſe noctem, eaque de cauſa velut deſperantes ſe abſcondiſſe, ac optaſſe, vt a montibus collibusque tegerentur, donec altero demum mane articulatam Dei vocem audirent. Nacta quidem haec ALTINGII ſententia patronum atque defenſorem fuit IAC. RHENFERDVM, qui in *momento controuerſiae de morte corporali ponderato et examinato*, Franequerae anno MDCCII. in 4. euulgato, ALTINGII hypotheſes commendat, et in iis, negato tantummodo, quod mors temporalis hoc Geneſeos loco ſit denunciata; ſingula plana, facilia, ſolida ac inter ſe bene iuncta vniuerſa eſſe, aſſerit. Sed examinandam atque refutandam eandem ſibi ſumſit IO. MARCKIVS in *hiſtoria paradiſi illuſtrata*, *pag.* 457. *ſeqq.* quamplurima circa illam reprehendens, confictum item nocturni timoris ſpatium explodens,

dens, et inprimis, cur mortis corporalis poena ipso lapsus die indicta protoplastis non inflicta sit, declarans; quod posterius nec indocte explicauit IO. PONTASSIVS *tomo I.* operis, quod *sacra scriptura vbique sibi constans* inscribitur, et Parisiis anno MDCXCVI. in forma quadruplicata prodiit. Contra STEPHANVM CVRCELLAEVM, in *tractatu de iure Dei in creaturas innocentes, pag.* 120. quod cruciatus aeterni, ad quos reprobi a Deo dicuntur destinati, verbis huius comminationis Adamo factae intelligantur, negantem, videri potest CHRISTOPHORVS SONNTAGIVS in *veneno mataeologiae Arminianae impugnato, pag.* 38. cuius et dissertatio *de constitutione emortuali a seculo*, Altorfii anno huius saeculi primo habita, lucem insignem loco nostro affundit.

LIV.

IOANN. III. 8.

Πνεω, a quo descendit πνευμα, significat, vti auctor *libri de mundo*, ARISTOTELI communiter tribui soliti, *lib. IV.* docet, *flo, spiro*; quemadmodum πνευμα Graeci *spiritum* vocant, quo significatu etiam in nostro hoc diui Ioannis loco gaudet. Vsurpatur illud etiam de respiratione ani-

malium, Iac. II. 26. prouti ita cum CALOVIO et SCHMIDIO recte interpretatur WOLFIVS in *curis* ſuis *phil. et crit. vol. IV. pag.* 43. licet per *animam* conuertant το πνευμα ibi FLACIVS in *gloſſa* in iſtum Iacobi locum, et BROCHMANDVS *comment.* ad eundem. Conf. etiam EDVARDVS LEIGH in *critica ſacra noui teſt. p. m.* 265. Citatus *libri de mundo auctor* hunc in modum το πνευμα definit, quod ratione ſuae originis *ventum* ſignificet. At, quoniam ſubtilis eſt ventus, nec in viſum noſtrum cadit, transfertur etiam haec vox ad alia ſubtilia, quae in viſum noſtrum minus cadunt, et tamen in rerum ſunt natura. Varios proinde illius in ſacris literis ſignificatus prolixe enumerant ERASMVS SCHMIDIVS in *annotat. ad Matth. VI.* 1. *Luc. I.* 47. *XXIV.* 37. *Marc. II.* 8. *et Io. III.* 8. FLACIVS in *claue ſcripturae ſacrae*, voc. *ſpiritus*, et LEIGHIVS *loc. cit.*

Soliciti praecipue fuere primitiuae eccleſiae doctores in deſignandis rationibus, quando de perſona ſacroſanctae Trinitatis tertia, et quando de ipſius donis ſit explicandum hoc vocabulum. DIDYMVS, Alexandrinus, in libro, quem *de Spiritu ſancto* ſcripſit, tunc de Spiritu ſancto intelligendum illud eſſe docet, quando ſit appoſitus articulus, tunc vero de donis eius expli-

care

care iubet iſte, quando non ſit praepoſitus articulus. Vid. hac de regula beati SALOM. GLASSII *philologia ſacra, lib. III. tract. II. can. III. p. m.* 698. *ſeqq.* et ABR. CALOVII *ſyſtema theol. tom. III. pag.* 696. Laudant etiam et explicant eam ERASMVS *ad Matth. IV.* 1. et CORNELIVS A LAPIDE *ad l. c.*

Alia adhuc criteria voluit determinare ATHANASIVS in *epiſtola ad Serapionem, tom. I. operum, pag.* 176. tertiamque Trinitatis perſonam per πνευμα indigitari autumauit, α) vbi addatur illi nomen Dei, β) quando addatur nomen Patris, γ) nomen ſi addatur filii aut Chriſti, aut δ) quando praeponatur articulus, vel ε) ſi addatur αγιον, vel παρακλητος, aut ſpiritus veritatis etc. Fallit vero nec applicari vbiuis poteſt vtraque et DIDYMI, et ATHANASII regula. Leguntur namque v. g. Io. III. 5. 1. Cor. XII. 11. Iud. comm. 19. ſine articulo το πνευμα, nec tamen ibi dona intelliguntur Spiritus ſancti, verum ipſa eius perſona; mox vero alibi, e. gr. Eph. IV. 23. 1 Theſſ. V. 19. 1 Io. IV. 1. 13. cum articulo το πνευμα occurrit, et dona indigitantur Spiritus ſancti. In noſtro contra loco, quo duplici vice legitur, primo pariter cum articulo apparet, nec vel de perſona Spiritus ſancti, vel de donis eius, ſed

de vento ſermo eſt, vt adeo decepti hac DIDYMI regula ſint ex patribus, qui de Spiritu hic ſancto agi ſecundum iſtam crediderunt, v. g. AVGVSTINVS *lib. I. et V. de vnica deitate*, GREGORIVS NAZIANZENVS *orat. V. de theol.* BASILIVS Magnus *lib. V. contra Eunomium, cap. penult.* GREGORIVS Nyſſenus *orat. de baptiſmo*, HILARIVS *lib. II. de trinitate*, AMBROSIVS *lib. II. de fide.* Facile enim ex omnibus circumſtantiis deprehenditur, comparationem ibi inſtitui inter opera Spiritus Sancti in regenitis ac renatis, et inter venti naturalis operationes; ita, vt quemadmodum hic inuiſibiliter auras peruagatur, ſono tamen percipitur, adeſſe atque operari, ita ille quoque in regeneratis et regenitis modo operatur inuiſibili. Quare recte de naturali tali vento explicarunt hocce πνευμα CHRYSOSTOMVS, CYRILLVS Alexandrinus, THEOPHYLACTVS aliique ſuis *in h. l. commentariis.*

Praeuidiſſe vero ipſe videtur ATHANASIVS haud leues, quibus ipſius prematur canon, difficultates. Subiicit namque illi, quo ſe dubiis eiusmodi leuet, exceptionem ſiue limitationem, obuiam in *epiſtola ad Serapionem de Spiritu ſancto, tom. I. operum, pag.* 176. vbi, per nudum etiam nomen πνευμα ſine articulo denotari poſſe Spiritum ſan-

ſanctum, ſcribit, ſiquidem alia praeceſſerint, lectori vnde conſtare queat, quod de hac tertia ſacroſanctae Trinitatis perſona ſermo ſit. Exempli loco Gal. III. 2. in medium profert, vbi, licet τῳ πνευματι additus ſit articulus, Galatae tamen facile intelligere potuerint, loqui de Spiritus ſancti donis diuum apoſtolum, quoniam ipſis ſcilicet notum iam fuerit, quem Spiritum acceperint; prouti 1. Theſſ. V. 19. vbi cum articulo legitur το πνευμα, pariter apparere dicit, quod illa indigitentur dona, Spiritus nimirum ſanctus quoniam exſtingui nequeat. Verum enim vero nec haec ſufficit ATHANASII limitatio. Quodſi enim v. g. Io. III. 5. velimus applicare illam, ibi ſane nihil praeceſſit, lectori vnde liceat concludere, quod de Spiritu ſancto το πνευμα ſit accipiendum. Et ſine articulo tamen illud iſto loco apparet. Noſtro vero in loco, vbi de vento naturali ſermonem eſſe monui, vel ideo de tertia Trinitatis perſona accipiendum eſſet prius το πνευμα, haec ſi valeret ATHANASII gloſſa. Quare nec nouo, nec ſolidiori argumento corroborauit iſtam explicationem reuerendus PETRVS SIGISMVNDVS PAPEN loco a b. WOLFIO citato *vol. I. curarum, pag.* 813. Imo reſponſum huic quoque fuit obſeruationi ab auctoribus, quos idem *pag.* 814. in contra-

riam adduxit partem, LAMPIO inprimis atque SCHMIDIO.

LV.

PSALM. XXIV. 4.

Verba אשר לא־נשא לשוא נפשו vulgo ſine ſenſu redduntur: *Qui non accepit* etc. *Arabs* coniunxit comma hoc cum ſequenti, tanquam eſſet ſynonymum. Secundum קרי ſi velit quis accipere, legereque נפשי, ab errore non immunis eſſe poteſt. Nec enim, diuum Dauidis ſuum commodum ita immiſcere voluiſſe pii viri officiis, credibile eſt, vt conſiſtere poſſe ab ipſo dicatur in Dei domo, qui non acceperit in vanum animam Dauidis. Nec, quid ſignificet ea locutio, patet, cum recenſeantur hic veritates et officia pietatis omnibus competentia. Ceterum נשא non tantum ſignificat *ſumſit*, *accepit*, ſed etiam *tulit*, *ſuſtulit*, *extulit*, *eleuauit*. Qua ratione ſenſus aliquis procedit, vt nimirum indicetur animam purgati abeſſe, a ſuperba debere vanitate, ſi coram Deo conſiſtere quis velit, et verba ſic reddantur: *qui non extollit ad vanum animam ſuam*, id eſt, qui non ſuperbe ſectatur inania, *wer ſeine Seele nicht erhebt zu eitlen hohen Dingen*. Et ſic commendari a Dauide ſpiritualem humilitatem

tatem patet. Nam נשא נפש, animam eleuare vel extollere ad aliquid eſt ſectari, intendere, vehementer cupere, vti loquitur et Dauides, Pſalm. XXV. 1. אליך נפשי אשא, *ad te, Domine, extollam animam meam*, id eſt, *te ſectabor ſummo deſiderio*, aut ſecundum LVTHERVM: *Nach dir verlanget mich.*

LVI.

MATTH. V. 37.

Mentionem feci ſupra p. 175 ſeqq. occaſione vocis πρωτοτοκος, eiusmodi in graeca lingua haud infrequentium vocabulorum, quae ſiue ſpiritu, ſiue ſono et accentus locatione differunt. Eodem referendum eſt, quod in praeſenti loco legitur, vocabulum πονηρος, in ſupra allegato AMMONII libro, pro varia accentus collocatione, vario etiam ſignificatu diſtinctum. Redditur nimirum ibidem πόνηρος per επιπονος, *miſer* ac *infelix*; πονηρὸς vero exponitur per κακοηθης. Diſtinguunt etiam iſta vocabula ſecundum diuerſum accentum *ſcholia* ARISTOPHANIS *pag.* 14. Sic exponitur pariter πονηρια, a πόνηρος deſcendens, *laborioſitas*; a πονηρὸς vero deriuatur, *nequitia, prauitas.* Ratio ſignificationis ex origine clara. Verbum πενομαι ſignificat *laboro,*

boro, vnde πονος, *labor*. Iam quia in labore eſt aerumna et moleſtia, hinc πόνηρος *laborioſus*; vti et πονηρὸς *malus* eſt, quoniam omni cum ſtudio et labore malus talis eſt. Conferatur ita vocem hanc πονηρὸς exponens ERASMVS SCHMIDIVS in *notis ad h. l.* Obſeruat autem ad hunc locum THEODORVS BEZA, quod plus quam κακος ſit πονηρὸς, isque dicatur ita, qui in omni ſcelere exercitatus, et ad iniuriam cuiuis inferendam totus comparatus. Quoniam vero in caſibus obliquis non commode ſemper diſtingui poſſunt genus maſculinum atque neutrum, nonnulla circa loca diſſentiunt interpretes, quorum ex numero noſter quoque eſt. THEOPHYLACTVS, SCHMIDIVS, CALOVIVS, MALDONATVS, BEZA aliique Satanam intelligunt. PRICAEVS vero *ad h. l.* probabilius eſſe cenſet, vt in genere neutro accipiatur πονηρὸς, vertitque: *ex malo, ex mala conſuetudine.* Ita et VICTORINVS STRIGELIVS in *hypomnematibus ad h. l.* itemque IO. CALVINVS in *harmonia trium euangeliſtarum, pag.* 81. vbi inter vitia hominum id refert, quod illud ſit ex malo, id eſt, ex malo more, nulla quoniam ſeruetur inter homines fides, niſi iuramento confirmetur, quod aſſeritur. Ad malum iurantis, ex mala conſuetudine ac more qui iurare ſolet, alii referunt. Et monet HVGO GROTIVS *ad h. l.* ex POLYBIO,

BIO, maxime ex eo inter gentiles fuiſſe frequentatum iurandi morem, ex quo labore fides coeperit. Conf. etiam ERASMVS et CORNELIVS A LAPIDE *in h. l.*

Aſt ſimpliciſſima eſt verborum noſtrorum interpretatio, quam dedit MATTH. FLACIVS in *gloſſa ad h. l.* ex malo, id eſt, *non caret peccato iurantis et exigentis;* vti et expoſuit iſta DANIEL TOSSANVS in *comment. ad h. l.* Confirmat vero illam explicationem ipſe textus ſcopus. Non enim iuramentorum de origine, ſed qualitate ac malitia eſt ſermo hic. Proinde neutrius generis eſt hic vocabulum πονηρος, nec intelligi de diabolo poteſt. Simili prorſus ratione circa locum 2 Theſſ. III. 3. vbi THEOPHYLACTVS, LVTHERVS, CALVINVS, PISCATOR, CALOVIVS, IO. CROCIVS, FRID. BALDVINVS, commentariis iſtum illuſtrantes, genus maſculinum agnoſcendum eſſe cenſent, et Satanam intelligunt. Praeferunt autem genus neutrum GROTIVS et FLACIVS; vtrumque contra, et maſculinum et neutrum, coniungunt BEZA, BVLLINGERVS et ERASMVS SCHMIDIVS. De loco Matthaei alio, cap. VI. 13. et ſenſu pariter ac genere obuio ibi του πονηρου videantur beati IO. CHRISTOPH. WOLFII *curae philol. et criticae, vol. I. pag.* 132. *ſeq.* Veterum expoſitiones enarrat IO. CASP. SVI-

SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico, tom. II.* voc. πονηρος. De Satana horum plerique acceperunt, vti CHRYSOSTOMVS *homil. XIX. in Matth. h. l.* THEOPHYLACTVS *in h. l.* GREGORIVS, Nyſſenus, *orat. V. in orationem dominicam*, CYRILLVS, Hieroſolymitanus, in *catecheſ. V.* TERTVLLIANVS libro *de fuga in perſecutione, cap. II.* quos ſequuntur ex recentioribus ERASMVS, BEZA, IO. PISCATOR, IO. HENRICVS ALTSTEDIVS, DAN. HEINSIVS, DAV. PAREVS, ERASMVS SCHMIDIVS ac FLACIVS. Alii tamen malum in genere ſiue vniuerſum indigitari putant, e. g. CYPRIANVS *de oratione dominica*, quem citat ſequiturque CORNELIVS A LAPIDE, VICTORINVS STRIGELIVS, HVGO. GROTIVS, nec non CALVINVS *in h. l.* Optime coniungunt vtrumque diuus noſter LVTHERVS atque MARTINVS CHEMNITIVS, in quo ſecutus illos quoque, cum GODOFREDO OLEARIO, eſt beatus noſter WOLFIVS *loc. cit.*

LVII.

MATTH. I. 20.

Quando dicitur hic ſanctiſſimus in Maria factus conceptus eſſe εκ πνευματος αγιου, abſurde id exponit anonymus a CHRI-

CHRISTOPHORO SANDIO, iuniore, *in interpretationibus paradoxis IV. euangeliorum*, Cosmopoli, vti habet titulus, MDCLXX. in forma octopartita editis, *ad h. l.* citatus, spiritum quendam sanctum, mundum atque purum, impuro ac malo spiritui siue diabolo oppositum, intelligens, quoniam nomina sine articulo posita vagum designent indiuiduum. Eodem enim gaudet haec regula robore, ac ista, quam notus ille Arii socius, ASTERIVS, circa effatum Paulinum 1. Cor. 1. 24. vbi sine addito articulo Θεου δυναμις dicitur Seruator, dedit, allegatus ab ATHANASIO *orat. III. contra Arianos*, *pag.* 193. refutatur vero a beato SALOMONE GLASSIO in *philologia sacra*, *lib. III. tract. II. can. III. p. m.* 699. Et verissimus est adductus ibi a GLASSIO canon, quod ex curiosa et minus necessaria articuli consideratione facile oriri queant falsae hypotheses atque errores; de quo videri etiam poterit beatus IO. TARNOVIVS in *exercitationibus biblicis*, *pag.* 667. *seqq.* Nec enim vel vbiuis valet ista memorati anonymi regula, vel solus sufficit eiusmodi canon grammaticus ad stabiliendam vel defendendam paradoxam talem interpretationem, ceterae si contrarium demonstrent textus sacri circumstantiae. Haud opus etiam, vt pariter Grammatici docent, articulo est, adiectiuum quando et substantiuum coniungun-

guntur, quoniam nimirum huic ad declarandum atque diſtinguendum iſtud adiectiuum additur. Exempla autem quamplurima contra malignam illam anonymi interpretationem peti poſſunt ex graecis ERASMI SCHMIDII *concordantiis.* Conf. inprimis Luc. I. 15. 41. 67. Act. X. 38. Rom. IX. 1.

LVIII.

IESA. VI. 3.

De triſagio hoc ita commentatur MICH. PRAETORIVS in *ſyntagmate Muſico, part. I. membr. I. cap. XV. Ter dicitur ſanctus, vt notetur diſtinctio perſonarum: ſed ſemel duntaxat dicitur Dominus Deus Zebaoth, vt notetur diuinae eſſentiae vnitas. Item, ter in ſingulari numero ſanctus, et non ſancti dicitur pluraliter, vt vna ſanctitas in his tribus perſonis et vna aeternitas et aequalitas intelligatur.* R. SIMEON BEN IOHAI *ſuper h. l.* ita commentatur: " *Sanctus hic eſt* " *Pater, ſanctus hic filius, et ſanctus hic eſt* " *Spiritus ſanctus.* „ Simili ratione, cum e regno Neapolitano eiicerentur Iudaei, in Targum a Ionatha, Vzielis filio, hymnus iſte verſus fuit: " *Sanctus Pater, ſanctus Fi-* " *lius, ſanctus Spiritus ſanctus.* „ Vid. de hoc triſagio diuinitus hominibus impertito NICEPHORVS *lib. IV. cap. XLVI.* qui com-

me-

memorat, fuiſſe Theodoſii imperatoris et Procli, archiepiſcopi Conſtantinopolitani, tempore, cum ingens eſſet terrae motus et vniuerſa multitudo in campos ſeceſſiſſet, puerum quendam e populo in aera raptum, ab angelis cantari triſagium audiuiſſe, idque vt in litaniis publicis adhiberetur, deſcendentem monuiſſe. Conf. DAMASCENVS *de orthodoxa fide lib. III. cap. X.* IO. GERHARDVS *de tribus Elohim, cap. III. §. XIII.* De nomine Zebaoth monet HIERONYMVS, illud, ſi nomini diuino attribuatur, transferri non debere, idque propter myſterium et quod nec Spiritus ſanctus, nec apoſtoli mutarint. Vid. IO. FORSTERII *dictionarium hebraeum, pag.* 681. SALOMONIS GLASSII *philologia ſacra, p. m.* 545. *ſeq.* et ſingularis de eo habita IOACHIMI HILDEBRANDI diſputatio.

LIX.

ACT. XII. 8.

Paucis ſupra, cum circa Marc. VI. 9. pag. 189. nonnulla monerem, obſeruaui, viſum quibusdam eſſe Petrum apoſtolum negligere praeceptum Seruatoris Matth. X. 19. dum σανδαλια hic geſtaſſe dicatur; ſimul, quae ſint iis regerenda, commemorans. Iam alia obuertunt alii, qui fieri

fieri nimirum potuerit, vt ſandaliis vſus Petrus fuerit, cum muliebre illa fuerint calceamentorum genus? Et negari quidem nequit, plerumque venire hocce nomine mulierum calceamenta; ſed et virorum ſic pariter vocata fuiſſe, teſtantur apud veteres exempla. Sic nimirum apud HERODOTVM in *Euterpe* Perſeo tribuuntur ſandalia. Conf. ATHENAEVM lib. VIII. DIODORVM Siculum *lib. V. pag.* 222. APOLLODORVM. in *bibliotheca, lib. I. pag.* 51. ipſosque LXX. interpretes, qui Iſ. XX. 2. prophetae tribuunt ſandalia. Additur et IVLIVS POLLVX in *onomaſtico, Lib. X. cap. XI.* HADRIANVS TVRNEBVS in *aduerſariis, lib. XXIX. cap. VIII.* IACOBVS NICOLAVS, Löenſis, *lib. I. miſcellaneorum epiphyllidum, cap. IX.* et ISAACVS CASAVBONVS *ad Suetonii vitam Auguſti, c. LXXIII. Vulgatam*, quae h. l. σανδαλια per *caligas* reddidit, corrigit IO. GERHARDVS in *locis theologicis*, aduerſarium ideo nactus PHILIPPVM CAROLI, profeſſorem ante Altorfinum, poſtea ad pontificiorum ſacra transfugam, in libro: *triumphus fidei* inſcripto, defenſus vero contra hunc a IO. MICH. DILHERRO *tom. I. diſſert. acad. pag.* 46. *ſeq.* Pro vulgata verſione aliquot etiam argumentis pugnat CORNELIVS A LAPIDE, in *comment. ad h. l.* qui HIERONYMVM quoque et gloſſaria veterum hic pro

pro σανδαλια σου posuisse *caligas tuas* dicit, et ad IVLII NIGRONI prouocat *de caliga* librum. Eandem sententiam calculo etiam suo probant IO. SELDENVS *de vxore hebraea, pag.* 103. et IO. TOBIAS MAIOR in *commentario in acta apostolorum, pag.* 160. *sq.* simul ideo non opus fuisse, vt Vulgatam corrigeret GERHARDVS, censens.

LX.

MATTH. XIV. 6.

A FLAVIO IOSEPHO *lib. XVIII. antiqu. Iudaicarum, cap. VII.* et SVIDA *voc.* Ηρωδειας nominatur Salome haecce saltatricula, a BASILIO Seleucienſi vero Herodias nuncupatur, *orat.* 18. *pag.* 164. In regiis autem conuiuiis saltatrices eiusmodi adhiberi consueuisse, alio Iosephi, Tobiae filii, exemplo demonstrat IOSEPHVS *l. c. lib. XII. cap. IV.* quemadmodum, graecis etiam in more idem fuisse positum, XENOPHON declarat in *Sympoſio.* De morte huius saltatricis narrat NICEPHORVS in *historia ecclesiastica, lib. I. cap. XX.* eundum ei quoquam brumali tempore fuisse et fluuium traiiciendum, qui cum glacie constrictus coagmentatusque fuisset, pedibus eum transiisse, glacie autem rupta demersam statim fuisse capite tenus, et

inferioribus corporis partibus laſciuientem molliusque ſe mouentem ſaltaſſe, non in terra, ſed in vndis, caput vero ſceleſtum frigore et glacie concretum, deinde etiam conuulneratum et a reliquo corpore non ferro, ſed glacie cruſtis reſectum, in glacie ipſa letalem ſaltationem exhibuiſſe, ſpectaculoque eo omnibus praebito in memoriam ea, quae fecerat, ſpectantibus reuocaſſe. Aliter mortem eius narrat GEO. CEDRENVS viuam eam terram abſorpſiſſe tradens, in *compend. hiſtoriarum, pag.* 184. edit. Pariſ. narrationis tamen illius, quam exhibet NICEPHORVS, mentionem facit, ſtatim adiiciens: " *alii ferunt, cum in* " *glacie paluſtri luderet, rupta glacie ita in* " *fundum decidiſſe, vt caput abſciſſum ſupra* " *glaciem exſtaret.* „ Niti ſi liceret nobis duumuirorum horum fide et auctoritate, haberemus ſingulare iuſtitiae diuinae vindicatiuae exemplum, ſceleribus poenam attemperantis. Neque enim

- - - poena eſt iuſtior vlla,
Quam necis artifices arte perire ſua.

Quod alia inſuper in ſacris tabulis commemorata exempla confirmant. At vero conſtat de NICEPHORO pariter, ac CEDRENO, quam ſubleſtae ambo ſint fidei ſcriptores, hiſtorias ſuas nugis, fabulis et innu-

innumeris ineptiis replentes, et ad mendacia toties confugere non dubitantes, quoties e re ipsorum erat. Vid. MART. CHEMNITIVS in *harmonia euangelistarum, cap. LXXIV.* ZACH. LIPPELOVS in *vitis sanctorum, tom. III. pag.* 640. et MICH. FÖRTSCHIVS in dissertatione *de mortibus persecutorum Ioannis Baptistae, Ienae* anno huius seculi nono habita, §. *LVIII. seq.*

LXI.

MATTH. XVI. 17.

Σαρξ non tantum de carne animalium, sed etiam de carnibus fructuum vsurpatur apud PEDACIVM DIOSCORIDEM, medicum caesareensem, passim, vti et apud auctorem *tractatus de plantis*, qui ARISTOTELI solet tribui, *lib. I. cap. V.* prunum dicitur constare ex carne, osse et grano, item cucumis ex carne et grano; plerumque tamen animalium de carne occurrit. Synecdochice per synecdochen partis pro toto ponitur pro toto corpore. Corpus enim non carne tantum, sed ossibus quoque, cartilagine etc. constat. Quaerit autem IO. VORSTIVS in *philologia sacra, part. I. cap. IV. p.* 102. ista dicendi ratio num hebraismus sit dicenda? prouti voluerunt BE-

ZA, PISCATOR atque HACKSPANIVS, nec non THOMAS GATAKERVS in diſſertatione *de noui inſtrumenti ſtilo*, quae inter *opera* eius *critica*, ab HERM. WITSIO Traiecti ad Rhenum anno MDCXCVIII. fol. coniunctim edita, primo loco apparet. Sed errant ſane hi. Non enim Hebraeis tantum propria figura eſt Synecdoche, ſed cunctis gentibus recepta. Ex METRODORO etiam, EVRIPIDE, EPICVRO atque ARRIANO, ſynecdochice ita pro toto corpore vſurpari *την σαρκα* demonſtrauit SEB. PFOCHENIVS in diſſertatione *de ſtilo noui teſtamenti*, in *Rhenferdiana* collectione obuia, §. LVI. Ex DIOGENE LAERTIO, ARRIANO, ANTONINO, POLYBIO, THEMISTIO et PORPHYRIO idem probat IO. CONR. SCHWARZIVS in *lexico graeco noui teſtamenti*, *pag.* 1210. *not.* **: Addi his auctoribus poſſunt, exempla ſimilia ſuppeditantes, LYCOPHRONES in *Caſſandra v.* 48. et AESCHYLVS *contra Thebas*, *v.* 628. Sed denotat etiam totum hominem, ſiue totam humanam naturam *η σαρξ*, prouti exemplis hoc confirmant ſcriptores a b. WOLFIO in *curis* ſuis *phil. et crit. vol. I. pag.* 252. allegati, quibus adde IO. DRVSIVM in *obſeruationibus ſacris*, *lib. VII. cap. VI.* et IO. D'OVTREINIVM in tractatu, belgico idiomate ſub tit. *De Tabernakel Gods onder de Menſchen etc.* editum,

pag.

pag. 22. * Noſtro loco pro natura humana, quatenus per peccatum corrupta eſt, accipitur. Licet enim, quod affirmat PHIL. PICINELLVS in *luminibus reflexis, ad h. l.* nonnunquam illa indicentur *conſanguinei, gens, familia*, v. g. Rom. IX. 3. 8. XI. 14. 1. Corinth. X. 18. Phil. III. 3. Hebr. XII. 9. hoc loco tamen iſta minus applicari poteſt interpretatio. Inprimis vero familiare eſt diuo Paulo apoſtolo, per την σαρκα iſtam denotare hominis ad malas actiones aeque ac omiſſionem boni procliuitatem, quae ſanctitati ac iuſtitiae primaeuae ſucceſſit, quamque peccatum dicere ſolemus originale. Inde ſaepius occurrunt ipſius in epiſtolis phraſes: ειναι εν σαρκι, Rom. VII. 5. VIII. 8. 9. ειναι κατα σαρκα, Rom. VIII. 5. ζην κατα σαρκα. Rom. VIII. 12. 13. etc. Inde commemoratur ipſi *prudentia* carnis, Rom. VIII. 6. 7. *deſiderium* carnis, Gal. V. 16. *opera* carnis, Gal. V. 19. Vid. pluribus MATTH. FLACIVS in *claue ſcripturae ſacra*, voc. *caro*. IO. CASP. SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico*, *tom. II.* ſub eadem voce, et

* Nolo, ne euadam iuſto longior, hic alios commemorare ſynecdoches genera, v. g quando etiam pro membro genitali tam virili quam muliebri, vſurpatur σαρξ; de qua vid. IO. DRVSIVS *lib. III. quaeſt. hebr. cap. IV.* et DAN. FESSELIVS *lib. II. aduerſ. ſacr. cap. VIII.*

VORSTIVS *loc. cit.* Diligentiſſime varias vocum σαρξ et αιμα, ſeorſim poſitarum, in ſacris literis ſignificationes expoſuit ſumme reu. ERNESTVS FRIDERICVS NEVBAVERVS, academicae Gieſſenſis theologus ac philologus celeberrimus, in commentatione philologica Halae olim anno MDCCXXIX. MELADIO oppoſita *de phraſi noui foederis caro et ſanguis, cap. I.* ſequente ſimul capite ſignificatum vocum illarum coniunctarum rectiſſime euoluens. Conf. et IO. HENRICI MAII *harmonia euangelica, part. V. cap. VIII. pag.* 931. MART. CASP. WOLFBVRGI *obſeruationes ſacrae in nou. teſt. pag.* 531. itemque celeberrimi in academia Vpſalienſi hodie theologi, GEORGII WALLINI, filii, habita in eadem anno MDCCXXXV. *hiſtoriam belli inter ſpiritum et carnem* adumbrans diſſertatio, *cap. I.* §. *I.* Bene etiam, errare illos monet iam laudatus SCHWARZIVS *loc. cit. pag.* 1211. *not.* **. qui per αιμα noſtro loco *ſtirpem illuſtriorem*, *per* σαρκα *ſtirpem ignobilem* et *contemtam* ſignari opinentur.

LXII.

LXII.

Io. I. 14.

Quando ad locum Matthaei praecedentem varias vocis σαρκος in medium attuli ſignificationes, nec obſcura illa eſt, ſecundum quam *fragilitas ac infirmitas humanae naturae* iſta indicatur, de quo vid. SAL. GLASSII *philologia ſacra, lib. V. tract. I. cap. XI. p. m.* 1767. LVDOVICVS CAPELLVS in *ſpecilegio ad Matth. XVI.* THEOD. BEZA item et IO. LIGHTFOOTVS ad eundem locum. Talem vero carnem pure tropicam Chriſto attribuere, periculoſum nimis videtur SEBAST. SCHMIDIO in *commentario in epiſt. ad Hebraeos, pag.* 520. ne eo deueniatur, vt quando hoc Ioannis loco dicitur *verbum caro factum eſſe*, etiam carnem merè tropicam ſeruatori ibi iure tribuere poſſe videantur Sociniani. Pluribus hac de re inprimis conferri meretur IO. PHIL. STORRII commentatio theologica *de vocum carnis et ſpiritus, cum de ipſo Chriſto dicuntur, genuino ſenſu et vſu*, Vlmae anno MDCCVI. in 4. euulgata, vbi *ſectione prima* huius dicti Ioannei ſtatim in initio legitur explicatio.

LXIII.

2. PARAL. XXXV. 21. 22.

Quaeritur circa locum hunc, quanam ratione Necho, Aegypti rex, a Deo bellare iuſſum ſe eſſe potuerit affirmare, et quomodo Ioſiam ſecum conflicturum dehortatus, ex ore Dei dicatur id fuiſſe? Sunt, qui finxiſſe id regem Aegypti infidelem atque barbarum exiſtimant. Sed videntur rectius ſentire, qui omnino diuinum mandatum feſtinandi contra hoſtes ſuos ad Euphratem conſiſtentes, Medos atque Babylonios, accepiſſe illum aſſerunt, prouti refert FLAVIVS IOSEPHVS *lib. X. antiquitatum Iudaicarum, cap. VI.* Neque inſolens eſt iudicandum, barbaros ac vicinos reges admonitos pariter per prophetas, Dei viros, eſſe, vti v. g. Haſael Syrus crudelis aeque ac infidelis per Eliſam commonefactus eſſe legitur 2. Reg. VIII. 12. Cumque in hoc ipſo capite infra v. 25. Ieremias praecipue mortem Ioſiae fleuiſſe dicatur, HVGO GROTIVS in *annotationibus ad h. l.* per Ieremiam factam hanc eſſe Aegypti regi reuelationem autumat. Arguit etiam infelix regis Ioſiae caſus, non fictum fuiſſe, quod Aegyptiorum rex ſe accepiſſe iactabat, mandatum. Imo non obſcure vitio Ioſiae noſtro loco vertitur, quod non acquie-

quieuerit in verbis Nechonis ex ore Dei. Qua ſane dicendi ratione non vſus ſacer ſcriptor fuiſſet, ſi mentitus mandatum diuinum Necho fuiſſet. Nec niſi iniuſte denegabat innoxium tranſitum per fines ſuos Nechoni rex Ioſias. Patet enim, iniuſtam eſſe denegationem talem, ex Iudic. XI. 17. Vnde et IOSEPHVS *l. c.* id Ioſiae factum improbat: *Ioſias*, quando ait, *verbis Aegyptii nihil mouebatur, ſed perſeuerabat in ea ſententia, vt per ſuam ditionem volenti ducere tranſitum denegaret, fato opinor ad hanc arrogantiam ducente hominem, vt occaſionem aduerſus eum inueniret.* Quin et temeritas videtur Ioſiae indicari atque reprehendi phraſi 2. Reg. XXIII. 29. obuia, qua *vidiſſe eum* (Aegypti ſcilicet regem) dicitur. Temerariae enim ſolent iſta deſcribi dimicationes, vti et occurrit 2 Reg. XIV. 8. 11.

LXIV.

EXOD. XXXVIII. 8.

VErtit haec ita SANTES PAGNINVS: *fecit concham aeneam et baſin eius aeneam ex ſpeculis* (mulierum) *conuenientium, quae conueniebant ad oſtium tabernaculi;* vocem autem *mulierum* diſtincto literarum et charactere minori reliquis vocibus tanquam a ſe additam inſeruit. Inſerunt contra eam

Vulgatus et LVTHERVS tanquam ad textum pertinentem, quin gloſſam etiam adiecit LVTHERVS, qua, quales ibi intelligi mulieres exiſtimet, declarat. Non vero ea ratione, ac in noſtris hodie bibliis legimus, hunc locum interpretatum eſſe megalandrum, ex duplici editione, tum veteris teſtamenti, ſiue pentateuchi potius, quam anno MDXXVI. in forma octopartita Baſileenſes curarunt, tum prima plenaria bibliorum Wittebergae anno eiusdem ſeculi XXXIV. fol. adornata editione obſeruat GEO. LVDOVICVS OEDERVS in *der gründlichen Erläuterung ſchwerer Stellen heiliger Schrift, part. IX. pag. 762. ſeqq.* In priori enim ita legitur: *Vnd macht das Handfaß von Erz, vnd ſeinen Fuß auch von Erz, auf dem Platz der Heere, die vor der Thür der Hütten des Zeugnis lagen*; in poſteriori: *gegen den Heeren, die für der Thür der Hütten des Stiffts lagen.* Nota LVTHERI, qua de mulieribus haec verba explicauit, legi etiam apud OEDERVM poteſt. Quod vero ad vocem צְבָאוֹת, quam de ſpeculis non Iudaei ſolum quamplurimi, ſed et ex chriſtianis interpretibus varii accipere non dubitarunt, attinet, rectius eam LVTHERVS et poſt hunc alii per *aſpectum* ſunt interpretati. Vid. quae hanc in rem OEDERVS *l. c.* diſſeruit, ad IO. FOERSTERI *exodum exodi* ibidem prouocans. Priorem interim de ſpeculis ſenten-

tentiam ſuam ex recentioribus fecit ſumme reuerendus ZEIBICHIVS in *bibl. exegeticis ad h. l.* cui adſtipulatur STARCKIVS loco ibidem allegato. Iniuſte autem ſupra commemoratam diui LVTHERI verſionem reiecit WOLFGANGVS FRANZIVS in tractatu *de interpretatione ſacrarum ſcripturarum, pag.* 40. refutatus ideo a SALOM. GLASSIO in *philologia ſacra, lib. IV. tract. I. obſ. V. p. m.* 1170. et huius verba exhibente ANDR. DAN. HABICHHORSTIO in diſſertatione *de mulieribus Zobeoth*, Roſtochii anno MDCLXXXVIII. habita et in *theſauro theol. phil.* recuſa *tom. I. pag.* 318. *ſeq.* Conueniebant enim omnino ad oſtium tabernaculi piae et religioſae mulieres in populo Iſraëlitico. Vid. DRVSIVS et LYRA *ad* 1. *Sam. II.* 22. FRID. SPANHEMIVS in *dubiis euangelicis, part. I. dub. XXVIII.* §. *XV.* 10. LIGHTFOOTVS in *horis hebraicis et talmudicis, tom. I. operum, pag.* 415. et SIXTINVS AB AMAMA in *antibarbaro biblico, pag.* 362. Eam etiam optime huc quadrare explicationem, licet in hebraeo textu vox *mulierum* non occurrat, docuerunt GLASSIVS et HABICHHORSTIVS locis allegatis, recte contra FRANZIVM, quod hic Leuitarum pariter fiat in textu ſacro mentio, nec contuitione eorum opus fuerit, monentes. Quae autem contra iſtam obiecerunt ANTONIVS HVLSIVS in *diſſertat.*

ſub-

ſubiunctis *comment. de praerogatiua Iſraëlis priſci, diſſert. XVI. pag.* 865. et HERM. GID. CLEMENS in diſſertat. *de labro aeneo a Moſe in tabernaculi atrio collocato*, quam Traiecti ad Rhenum anno MDCCXXV. in forma octuplicata edidit, *cap. II. §. XIII.* docte diſcuſſit noſtramque ſtabiliuit interpretationem *Antonius Clant*, verbi diuini miniſter Groninganus, in *diſſertatione prima ſcriptionum biblicarum*, quam Groningae anno MDCCXXXIII. in 4. impreſſam cum orbe erudito communicauit, *pagin. 79. ſeq.*

LXV.

IEREM. V. 5.

Homines legem excutientes repraeſentat hic figura bouis iugum effringentis, quemadmodum et phraſin hanc *Chaldaeus Paraphraſtes*, reddidit: *ſed hi ſimul praeuaricati ſunt a lege.* Nec graecis ſcriptoribus illam dicendi rationem, ſecundum quam pro lege ſiue praeceptis iugum haud raro vſurpatur, ignotam fuiſſe, loco ex LVCIANO depromto probat IACOBVS ELSNERVS in *obſeruationibus ad nouum teſtamentum, tom. I. pag.* 60. vbi philoſophia rationem reddens inducitur, quare ad barbaros prius, quam Graecos peruenerit, quod illos

los nempe difficilius, quam hos imperata facturos crederet: το ελληνικον δε ειων, ως ρᾳστον υποβαλεσθαι και ταχιστα, ωστγε ωμην, ενδεξομενον τον χαλινον οιον τε και υπαχθησομενον τω ζυγω. *Graecos autem ſiui, vt qui facillime ſubigi poſſent, et celerrime, vt quidem putabam, frenum ſuſcepturi, ſubditurique collum iugo eſſent.* A ſcriptoribus ſacris ſaepius lex in ſpecie Moſaica iugi ſub metaphora nobis ſiſtitur, e. g. Act. VII. 10. Gal. V. 1. Nec Rabbini aliter loquuntur, non ſolum του עול תורה *iugi legis* mentionem in *pirke auoth cap. III. num. V.* facientes, ſed et legis in *Ir Gibborim fol. 55. col. 3.* hunc in modum: לעולם ישים האדם עצמו על דברי תורה כשדר לעול *ſubiicere ſe debet homo verbis legis, non ſecus ac taurus iugo.*

LXVI.

MATTH. XXI. 9.

Quae varie ſint de voce occurrente hic *Hoſanna* eruditorum ſententiae, enarrant, praeter commentatores in euangelium Matthaei, ſcriptores a ſummo quondam noſtro IO. CHRISTOPHORO WOLFIO allegati in *curis philologicis et criticis, ad h. l.* quibus adde EDVARDVM LEIGH in *critica ſacra veteris teſtamenti*, rad. ישע IO. CASP. SVI-

SVICERVM in *theſauro eccleſiaſtico, voc.* ωσαννα MATTH. FLACIVM in *claue ſcripturae ſacrae, part. I. pag.* 97. GERHARDVM IO. VOSSIVM in *harmonia paſſionis, lib. I. cap. IV.* IO. MICH. DILHERRVM in *electis, lib. II. cap. XX.* et *Cheuraeana, tom. II. pag.* 79. *ſeq.* Scribitur quidem et cum gemino et cum ſimplici ν; ſed praeferenda eſt ſcriptio poſterior, quoniam ea ſcilicet cum hebraeo magis conuenit. Plerisque, vti recte monuit beatus WOLFIVS, elliptica arridet interpretatio datiuusque caſus cum Hoſanna coniunctus; cuius primus fuit BEZA autor, hunc deinde ſequentibus IO. MALDONATO in *comment. ad h. l.* et GEORGIO PASORE in *lexico* minori, aliisque. Cum vero formula haec acclamandi ſit hebraica, vnde, niſi ex illius gentis indole vſuque, erit explicanda? Occurrunt tamen apud profanos etiam ſcriptores paſſim ellipticae eiusmodi ac votiuae acclamationis exempla, praeſertim in hiſtoria Auguſta. Sic v. g. apud LAMPRIDIVM in *vita Alexandri Seueri* acclamabatur Alexandro: *Iueni imperatori! patri patriae! pontifici maximo!* ſcil. ſalutem optamus, aut precamur. Eadem ratione apud EVAGRIVM *lib. II. hiſt. eccleſ. cap. XVII.* acclamatur: *Leoni multos annos!* ſcil. precamur. MART. PETR. CHAITOMAEVS in *graeco-barbaris noui teſtamenti*, quae in *ſylloge diſſertationum de ſtilo*

ſtilo noui teſtam. a IACOBO RHENFERDIO Leouardiae primo huius ſeculi anno in forma quadripartita euulgata, recuſa leguntur, verbum ſubſtantiuum *eſto* ſupplet hunc in modum: *Hoſianna eſto*, ſ. accidat, contingat, eueniat, *filio Dauidis.* HVGO vero GROTIVS pro principio hymni alicuius habet verba haec: per quod principium totus ſignificetur hymnus, ſenſum acclamationis populi eſſe huncce iubet: *hunc hymnum, qui incipit: Hoſianna filio Dauid! canimus in honorem noſtri Meſſiae, filii Dauidis.* ANGELVS CANINIVS de *nominibus noui teſt. peregrinis* vocatiuum praefert, vt preces populi dicantur eſſe ad Meſſiam directae: *ſerua, quaeſo, fili Dauid!* vel accuſatiuum etiam, vt preces ſint ad Deum pro Meſſia fuſae: *Serua filium Dauidis!* Placet etiam haec CANINII explicatio CAESARI BARONIO in *annalibus eccleſiaſticis ad A. C. XXXIV. num. V.* nec non FRANCISCO LVCAE et IACOBO IANSENIO in *comment. ad h. l.* ſed refutauit CANINII ſententiam CORNELIVS A LAPIDE in *comment. ad h. l.*

LXVII.

LXVII.

EXOD. II. 10.

Quam vana et abſona ſit IO. PETR. ERICI opinio, quando nomen Moſis a μοσχος, *vitulus*, in *renato e myſterio principio philologico* deriuare non dubitauit, ſupra *pag.* 3. demonſtraui, cum de eiusdem Caini nomen ab κτεανος deducendi conatu dicerem, variisque demonſtrarem aliis exemplis, quam parum feliciter ex graeca lingua ceteras omnes per miras ſaepe transformationes originem ducere, iuſſerit. Id ſaltem hoc loco moneo, multis μοσχον ipſiſſimum fuiſſe viſum משה Moſen, vti praeter IO. THEODORETVM ARCERIVM, IO. SELDENVM, HERM. WITSIVM, RAPH. LVDWORTHVM, EDMVNDVM DICKINSONIVM etiam PETRVS DAN. HVETIVS in *demonſtratione euangelica, propoſ. IV. cap. II. pag.* 53. *a.* IO. SCHVLZIVS in *florum ſparſione ad loca quaedam in re litteraria controuerſa, pag.* 292. et ANDR. DACERIVS in *vita Pythagorae*, gallice Lutetiae Pariſiorum anno MDCCVI. in 12 edita, exiſtimarunt. Ex Aegyptiorum autem lingua Moſis nomen deducendum eſſe voluerunt PHILO in *vita Moſis, lib. I. pag.* 605. FLAVIVS IOSEPHVS *lib. II. antiquitatum Iudaicarum, cap. V.* ATHANASIVS

SIVS KIRCHERVS in *prodr. Copt. pag.* 135. IO. HENR. HOTTINGERVS in *exercit. anti-Morinianis de pentateucho Samaritano, pag.* 48. et in *ſmegmate orientali, pag.* 398. MARC. ANTON. MARSILIVS de *fonte luſtrali, pag.* 59. ANGELVS ROCCHA A CAMERINO in *bibliotheca Vaticana, pag.* 306. aliique, Aegyptios ex eo, quod contigerat, Moſi in flumen delapſo impoſuiſſe appellationem hanc cenſentes, cum *aquam* illi μω vocent, υσης vero *ex aqua ſeruatos.* Sed fuerunt contra, qui non pro Aegyptiaco, verum Hebraeo, nomen hoc rectius haberi contenderunt, ſupra a me *loco citato* indicati. Neſcio tamen, num, quod de matre Moſis, non Pharaonis filia, nomen Moſi imponente, hi obuertunt extra omnem ſit dubitationis aleam poſitum. Certe noſter locus, ſi accurate conſideretur, contrarium ſtabilire, Pharaonisque filiae nominis impoſitionem vindicare videtur, qua in re mecum ſentire video ſumme reuerendum CHRISTOPHORVM HENRICVM ZEIBICHIVM in *bibliis exegeticis, ad h. l.*

LXVIII.

MATTH. XI. 12.

Dum poſt MATTHAEVM POLVM in *ſynopſi criticorum, vol. IV. pag.* 290. praecipuas interpretum circa haecce Seruatoris verba ſententias enumerat beatus IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *curis* ſuis *philologicis et criticis, vol. I. p.* 195. *ſq.* triplicem inprimis vocis βιαζεσθαι, in qua determinenda rei verſatur cardo, commemorat explicationem, vt α) paſſiue nonnulli eam interpretati fuerint, β) alii actiue, γ) alii vero paſſiuum ſenſum itidem tenentes, de perſecutionibus agi hic crediderint, quibus regnum Dei ſit expoſitum; recte de poſteriori, quod illius patroni audiendi omnium minime ſint, iudicans. Prouti interim fit, vt ſaepius eiusmodi, licet minus accuratae, ſcripturae ſacrae interpretationes ſuos tamen nanciſcantur fautores, ita huic praeter LICHTFOOTVM, TRILLERVM auctoremque *des Berliniſchen Heb-Opfers*, a beato WOLFIO, *pag.* 196. allegatos, acceſſerunt IO. MARCKIVS in *exercitationibus ſcripturariis, part. II. exerc. IV.* IOANNES OLEARIVS in *tractatu de ſtilo noui teſtamenti, pag.* 26. et ingenioſus ille, cetera doctiſſimus, academiae Iuliae philologus HERMANNVS VON DER HARDT, cuius

cuius dum poſſideo *explicationem difficiliorum quatuor euangeliſtarum locorum* manuſcriptam, communicabo cum beneuolo lectore, quae hunc ad locum et commata ſequentia iſte commentatur. *Ioannem* (ita ille) *vltimum prophetam* (Seruator) *dixerat, qui regnum Chriſti praenuntiaſſet, poſt hunc ſtatim regnum ſuum habuiſſe initium. Sed ab illo initio, toto illius regni iam exiſtentis tempore, meras Iudaeorum et phariſaeorum iniurias ac inſidias regno illi fuiſſe oppoſitas, ait.* Βιαστας *proinde vocat primates Iudaeorum, ſui et verbi aduerſarios, qui regnum aut euangelium non ſolum non admitterent ipſi, ſed et premerent et violenta manu ſupprimere conarentur, dum omni modo doctrinam Chriſti e medio tollere contenderent. Hos ergo ſui et diſcipulorum adeoque euangelii perſecutores reprehendit, quod curſum euangelii turbent et inhibeant. Rapere et diripere illos regnum Dei ait, quod eſt, phariſaeos ceterosque Iudaeos praefractos, more praedonum, hoſtili manu affectuque ferri aduerſus euangelium, id perditum et exſtinctum. Et eſſe quidem hanc incredulitatis Iudaicae damnationem et grauem perſecutionis notam, patet ex vehementis irae affectu, qui ex ſequentibus mox clariſſime elucet. Vid. v.* 16. *et* 20. *Imo expreſſe Iudaeis exprobrat* (Seruator) *praefractum animum, qui nolint accipere euangelium et euan-*

gelii miniſtros, Chriſtum et diſcipulos. Adeſt, inquit, verſu 13. *regnum a prophetis praedictum, a Ioannis Baptiſtae aetate inchoatum. Non eſt, quod quis ſe excuſet, non adeſſe regnum. Tempus adeſt, quo adeſſe debet regnum. Praedictionis enim tempus praeterlapſum eſt, aduenientе Ioanne. Praeſens itaque eſt. Et ſi qua ex incredulitate ſcrupulus ibi naſcatur vobis de praecurſore regni venturo, quem non videritis, en! adeſt. Ioannes eſt praecurſor. O vtinam ergo, pergit verſu* 14. *non repudiaretis impoenitentes et praefracti hunc praecurſorem, ipſumque adeo regnum iam praeſens, ſed admitteretis. Quod triſte votum de admittendo et accipiendo audiendoque praecurſore regni iam praeſente eſt argumentum incredulitatis Iudaicae, qui non facerent, quod ſerio optaret Chriſtus. Cui doloris Chriſti indicia accedit verſu* 15. *ardentius votum de poenitentia et conuerſione Iudaeorum cum tacita comminatione. Qui affectus indignationis creſcit in ſequenti oratione longa, qua impoenitentiam et incredulitatem populi grauiſſime damnat, et poenam promeritam imprecatur.* Ad refutandam autem explicationem hancce legere iuuabit ea, quae TRILLERO ſpeciatim oppoſuit SCHOENLANDIVS a WOLFIO citatus. Conferantur et, quae monet reuerendus GEORGIVS LVDOVICVS OEDERVS in *der neuen vnd gründlichen Erleuterung ſchwe-*

ſchwerer Stellen heiliger Schrift, tom. I. pag. 718. *ſeqq.* nec non, quae contra IOANNEM GEORGIVM DORSCHEVM, de iniquo *βιασμω*, quem violento ſuo iudicio exercuerint Iudaei, Chriſtum irridentes, locum hunc interpretantem, in medium attulit CHRISTIANVS STOCKIVS in *claue linguae ſanctae noui teſtamenti, p. m.* 201.

Ab illis, quos ſummus hicce WOLFIVS commemorauit, interpretibus abire viſus ſibi eſt celeberrimus Coburgenſis gymnaſii director ac philologus praeſtantiſſimus IOANNES CONRADVS SCHWARZIVS, quippe qui *monumentis* ſuis *ingeniorum* * *huius et ſuperioris ſeculi, tom. II. pag.* 177. *ſeqq.* epiſtolam *de noua* (vti illam inſcripſit) *et probabili interpretatione huius loci* inſeruit, ad theologum Altorfinum olim haud incele-

* Titulus hic eſt collectionis variarum lectu digniſſimarum commentationum, quas programmatum inſtar luci ante expoſuit, hac ratione vero ab interitu (quem experiri plerumque ſolent ſchedulae eiusmodi, ſaepius conſeruatu digniſſimae) vindicauit Auctor doctiſſimus. Dolendum puto, quod praeter quatuor horum monumentorum tomos plures vix ſperare liceat, ſi vera ſunt, quae leguntur in *den Leipziger neuen Zeitungen von gelehrten Sachen, anni MDCCXXXII. pag.* 149. Nec enim dubitauerim, plura poſt id tempus programmata euulgaſſe virum reuerendum, quae pari ratione conſeruenda eſſent poſteris.

lebrem IOANNEM GVILIELMVM BAIERVM exaratam, eademque loci noſtri nouam dare voluit explicationem, verba Seruatoris ita reddens: *A Ioannis Baptiſtae temporibus vsque ad haec res diuinae vim ſentiunt, et violenti eas rapiunt.* Verbo βιάζεσθαι ſignificationem tribuit, a Lexicographis haud quidem commemoratam, vt idem ſignificet, ac *comuincere ac perſuadere aliquid hominum animis, rem aliquam auditoribus lectoribusue tam perſpicue et acriter proponere, vt diſſentire ac dubitare non liceat.* Mentem inde ſanctiſſimi Seruatoris hanc eſſe putat: *Rationes rerum diuinarum adhuc ita clare et impigre demonſtratae ſunt, vt qui vi illa vtuntur eamque imitantur, diuinae gratiae rite ac vere compotes fiant.* Argumento, quibus interpretationem hanc ſtabilire ac demonſtrare conatus eſt vir doctiſſimus, enumerant celeberrimi auctores *der fortgeſetzten Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen, anni MDCCXXV. p. 957. ſqq.* ibidem vero *pag. 959. ſeqq.* monent, nouam quidem eſſe videri iſtam *Schwarzii* explicationem, formalia ſi ſpectes, minime tamen ab ipſo primum prolatam eſſe materialia ſi quis conſideret, ſed ante ipſum iam a PHILIPPO MELANCHTHONE, EVSEBIO, IOANNE COCCEIO, CAMPEGIO VITRINGA, CORNELIO ADAMI et ſumme venerando academiae Lipſienſis theologo primario CHRISTIA-

STIANO FRIDERICO BOERNERO, nec non beato FRANCISCO IVLIO LVETKENIO eundem in modum verba Seruatoris fuiſſe declarata. Addunt etiam *pag.* 960. *ſq.* vix probari ex PLATONIS illis duobus locis, quae adduxit SCHWARZIVS, poſſe ſignificationem, verbo βιαζεσθαι tributam, neque aptam dari horum verborum, ita acceptorum, cum ſequentibus connexionem. Idem ferme iudicandum cenſeo de pluribus locis a celeberrimo SCHWARZIO cumulatis in *commentariis* ſuis *criticis et philologicis linguae graecae noui foederis diuini*, *pag.* 250. *ſeq.* ordinariam facile verbi βιαζεσθαι ſignificationem admittentibus. Conſulere ibi nos iubet *tomum III. monumentorum* ſuorum *ingenii*, *pag.* 35. *ſeqq.*

Licet ergo ſua vtique laborare videatur difficultate commemorata iſta doctiſſimi SCHWARZII ſententia, maiorem tamen premere illam putauerim, quam in eadem *continuata collectione nouantiquorum theologicorum*, *anno MDCCXXXIV. pag.* 130. *ſeqq.* publico expoſuit anonymus quidam, per βασιλειαν των ουρανων Iudaicam eccleſiam, qualis illa tunc Ioannis et Chriſti tempore erat, intelligens. Seruatoris mentem ita ille accipit, ac ſi de zelo apoſtolorum horumque diſcipulorum tollendi ſeu vaſtandi Iudaicam illam eccleſiam, nouam vero eu-

angelicam ſtabiliendi, ſermo ipſi fuiſſet, hincque verba eius noſtro in loco obuia ita παραφραζει: *Von denen Tagen Iohannis des Tauffers vnd ferner hinaus wird die Iüdiſche Kirche heffig beſtritten werden, vnd die Beſtreiter derſelben werden ſie auch glücklich zerſtöhren, wie denn auch alle Propheten vnd Moſes ſolches geweiſſaget haben.* Aſſenſum namque huic interpreti eo minus praebendam eſſe putauerim, quo magis a veritate recedere videtur iſtius exegeſeos fundamentum, vt per βασιλειαν των ουρανων intelligatur eccleſia Iudaica Ioannis atque Seruatoris tempore exiſtens.

A qua huius anonymi explicatione prorſus quidem diuerſa, at non maioris forte ponderis vel probabilitatis iudicanda erit celeberrimi alias Dresdenſis philologi, CHRISTIANI SCHOETTGENII, argumentatio, quando in *horis* ſuis *hebraicis et talmudicis in nouum teſtamentum, tom. I. p.* 112. ad locum noſtrum ita commentatur: *Ratio, cur Chriſtus haec verba proferat, et ſcopus eorum talis erat. Hoc tempore, quo Ioannes Baptiſta poenitentiam et fidem in Meſſiam proxime aduenturum praedicabat, tanta vbique erant obſtacula, vt conuerſi ſibimet ipſis vim facere cogerentur. Es gehoerete* (ita pergit vir doctiſſimus) *eine ſehr ſtarke Reſolution dazu, wenn ſich einer damals bekehren wolte.*

wolte. Quatuor etiam deinde enumerat impedimenta, quae perrumpere nemo, niſi cum eximia quadam violentia, potuerit. Haec omnia enim, quamuis ſint per ſe veriſſima, et in tempora iſta, quibus loquebatur Seruator iſta, ſatis quadrent, non tamen verba Seruatoris vel eorum ſenſum includere, euictum SCHOETTGENIVS dedit.

LXIX.

MATTH. XII. 43. 44. 45.

Sermonis huius Seruatoris quis ſit ſenſus quaeque cum antecedentibus connexio, breuiter quidem, at, pro more ſuo, optime demonſtrauit beatus WOLFIVS in *curis* ſuis *philologicis et criticis, vol. I. pag.* 223. vbi hunc in modum ſcribit: *Cauere Iudaeos* (Saluator) *iubet, ne exiſtiment, fieri non poſſe, vt idem daemon, qui ſit ex homine expulſus, non poſſit reuerti in priſtinam ſedem, tanquam qui ad locum ſit relegatus, numquam iterum relinquendum. Permanere enim daemones inter homines, quamuis inferni poenas ſecum ferentes, et quaerere loca alia, in quibus requiem qualemcunque inueniant.*

Paulo aliter HAMMONDI ductu ſenſum horum verborum ſupra allegatus SCHOETTGENIVS *loco citato, pag.* 127. expromit: *Spiritus impurus iam quidem a me eiectus eſt, et ex tota natione Iudaica eiici poteſt: cum vero nuſpiam, ne inter ipſos quidem ethnicos, tam gratum habitaculum nacturus ſit, quam in cordibus Iudaeorum induratorum, timendum eſt, ne ad Iudaeos redeat, ipſosque multo magis induret ac peiores faciat. Id quod re ipſa factum eſſe, euentus ſane triſtiſſimus comprobauit.* Inſunt autem, fateor, huic explicationi quaedam, verba Seruatoris quae non continent. Vbinam, quaeſo, de eo, quod corda Iudaeorum ſint futura gratum magis daemonis impuri habitaculum, quam gentilium, vel vola vel veſtigium? Nec, quin in genere haec de homine, daemoni de nouo quaſi ſe tradente, accipi queant, video.

Interim verum verborum ſeruatoris ſenſum, neſcio, an non infelicius aſſecutus fuerit, cuius ex *explicatione difficiliorum quatuor euangeliſtarum locorum* manuſcripta ad praecedentem locum pariter oculis lectoris quaedam exhibui, HERMANNVS VON DER HARDT, praeſentem locum ita explicans: *Impoenitentiam Iudaeorum creſcentem depingit graui figura a daemoniaci aut furioſi exemplo deſumto. Sicut daemonia-*

niacus aliquis, liberandus a furore ſuo, oberret in ſyluis et deſertis, quaerens requiem, nec inueniat, idcoque ad ſaniorem mentem rediturus redeat in domum, vnde aufugerat, quae interea ſit a reliquis domeſticis in abſentia furioſi purgata et ornata, reuerſus autem priſtino corripiatur furore, vt ſepties amplius furat et frendeat: ſic comparatum vero eſſe cum populo Iudaico, talem etiam euentum fore, ait Chriſtus. Prodit ſe hic, vti in aliis iam innumeris ferme ſcriptis, viri clariſſimi ingenium, ad fingenda defendendaque noua prae ceteris pronum. Aliud namque hic conſtituit ſermonis ſanctiſſimi ſeruatoris obiectum, quam quod hactenus acceperunt interpretes, ni fallor, omnes, quodque diſerte ſatis nobis ob oculos textus graecus ponit. Quis eſt, qui non videat, ipſo de impuro daemone, homines obſidente, non de homine daemoniaco ſeu obſeſſo, ſermonem ſeruatori eſſe? Quam abſona haec eſt paraphraſis, qua hominem talem obſeſſum, liberandi ſeſe ſuo malo cauſa, ſyluas et deſerta petere perhibetur?

Pergit vlterius explicare verba Chriſti, vel ſua potius, Chriſto afficta, ad populum Iudaicum iam applicans ante prolata VON DER HARDT: *Ante aduentum nempe et praedicationem Chriſti miſerrimus populi fuerat ſtatus, qui in Ioannem iam inuehebatur more*

more daemoniaci et furioſi. Verum cum tempus eſſet, quo liberari deberet a malitia ſua et in integrum reſtitui, adueniente Meſſia, qui illos a miſeria quaſi daemoniaca erat liberaturus, Meſſiam quidem audiuit, a quo requiem impetrare poſſet, ſed illam a Chriſto oblatam requiem non admiſit. Quare omnis ſpes quietis deſideratae et a Meſſia exſpectandae, quin et exhibitae, euanuit, vt adeo populus Iudaicus poſthabita Meſſiae gratia et oblata quiete ad ſuam malitiam reuerteretur, multoque euaderet peior et turbulentior.

Clarius haec perſequitur vir ingenioſiſſimus, addens: *Impurus ſpiritus exiturus notat ſtatum praedicationis a Ioanne inter Iudaeos factae. Cum enim Deus conſtituiſſet redimere populum ſuum totumque orbem, rem inter Iudaeos orſus, Ioannem primum excitauit, qui impurum Iudaeorum ſpiritum, quo eſſent affecti, ſiue prauitatem et malitiam ſummam, redargueret, damnaret, et nuntiata poenitentia ex cordibus eorum eximeret. In eo itaque fuit Ioannes, qui progeniem illam ſerpentinam a peccatis liberaret poenitentiae medicatione. Oberrare autem dicitur ſpiritus immundus, hoc eſt, homo immundo ſpiritu agitatus, a ſpiritu illo liberari cupiens,* (Vbinam hac de re in textu reperitur aliquid? Ego ſane deprehendo nihil.) *ſpiritus immundus cum ſuo ſubiecto, aut homine,*

in

in quo eſt. Tribuitur ſpiritui error, aut oberratio, aut diſcurſitatio daemoniaci. Quo exemplo ſtatum peſſimorum Iudaeorum magis deſcribit, quod etſi liberari voluerint et optauerint a ſua prauitate et miſeria, Ioanne primum audito, qui in deſertis poenitentiam nuntiaret, veram tamen requiem aut a ſuo miſeria liberationem in Ioanne non inuenerint aut ab eo impetrauerint. Poenitentia enim terret quidem et quatit, vulnerat et lacerat, ſed non dat requiem et conſcientiae tranquillitatem. (Vera haec ſunt, imo veriſſima, in theſi. At, ſeruatoris hanc fuiſſe mentem, talia docere, ego nullus prorſus video.) *Domus interea,* (ita pergit VON DER HARDT) *dum oberret ille in deſertis, purgata, et ornata, notat ſtatum gratiae et euangelii in Chriſto, quod, cum Ioannes praedicaſſet poenitentiam, Chriſtus interea coeperit in populo verbo et praedicatione purgare, ornare et comere domum aut eccleſiam Iudaicam, gratia Dei et beneficiis maximis nuntiatis, exhibitis et confirmatis. Quo ipſo adeo officium et ſtudium Chriſti in populum Iudaicum deſcribitur. Spiritus immundi aut ſpiritu immundo praediti ſententia de reditu ſuo ad domum notat publicum deſiderium de emendatione eccleſiae per Meſſiam. Ipſe vero reditus et mundata ac ornata domus inſpectio denotat conuictionem conſcientiae de Meſſiae praeſentia eiusdemque euangelio ſeu gratia et bene-*

beneficiis. Sensit enim abunde populus Iudaicus gratiam Christi oblatam, ad quam antea adspirauerat et anhelauerat, etsi dein non frueretur ea, sed repudiaret illam. Spiritus immundi aut spiritu immundo affecti status in domo mundata et ornata, ad quam reuersus, designat statum Iudaeorum tempore euangelii Christi, sub praedicatione gratiae, seu ecclesiae a Christo beneficiis suis ornatae; vno nomine, quomodo Iudaei se gesserint erga euangelium nuntiatum et a Christo praedicatum, quem animum habuerint in fortunatissimo ecclesiae renouatae et per Christum restitutae statu. Abiisse nempe dicitur spiritus immundus aut spiritu immundo affectus, et deteriores multo assumsisse secum, et domum mundatum occupasse. Quae est descriptio summae ingratitudinis, stultitiae et malitiae Iudaicae, quod Iudaei ingratissimi et malitia sua excoecati Christi euangelium oblataque eius beneficia animo promto accipere, et quiete aut gratia a Christo oblata frui detrectauerint. Sed noluerunt. Neque sufficit, quod gratia Dei ac tranquillitate frui noluerint. Accessit septuplo maior Iudaeorum malitia. Coeperunt enim aduersari prorsus euangelio et pristinam malitiam augere, furere magis et iniuriam euangelio inferre, vt tempore Christi et in luce euangelii nequiores essent, quam vmquam antehac. Quam malitiam magis adhuc auctum iri (Seruator) *pronuntiat, vt indu-*

indurati pertinaciter euangelio ſint aduerſaturi. Vnde paucis verbis ſit applicatio et explicatio Chriſti, quod talis ſit futurus miſerrimus Iudaeorum praeſentium ſtatus, qualis in tali daemoniaco appareat.

Ingenioſe ſatis haec omnia prolata eſſe a viro doctiſſimo, nemo non facile iudicabit, ſimul vero, longe a ſcopo menteque Seruatoris abire ea, profitebitur. Nihil namque minus, quam eiusmodi diuerſi Iudaicae eccleſiae ſtatus deſcriptionem ſuppeditare hic, eorundemque erga ſuam ac Ioannis praedicationem animum ſiue ſe gerendi modum delineare ſeruatorem voluiſſe, contextus ipſe docet; ex quo potius, in genere eum de quolibet homine loqui, apparet. Vnde mihi ſe pariter non probat, quae, explicationi *Hardtianae* ferme conſona, legitur in *Miſcellaneis Duisburgenſibus, tom. II. pag.* 496. *ſeqq.* PETRI IANSSENII parabolae huius interpretatio. Licet enim ſingulis in circumſtantiis ſermonis Seruatoris applicandis cum VON DER HARDT non conueniat IANSSENIVS, ad LIGHTFOOTVM *pag.* 497. prouocans, in praecipuis tamen eandem cum ipſo oberrare chordam videtur.

Saniora ſunt, ſcopoque ſeruatoris ac verborum horum cum antecedentibus nexui exa-

exactiſſime conueniunt, quae ad locum noſtro parallelum Luc. XI. 24. ſeqq. leguntur in magni quondam illius ac feliciſſimi exegetae SALOMONIS GLASSII *exegeſi euangelicorum et epiſtolicorum textuum, pag.* 609. *a.* editionis ſecundae, quae in folio, vti vocant, Noribergae anno ſuperioris ſeculi LXIV. adornata eſt, vbi: *Recte* (vir ille ſummus ſcribit) *ſtatuunt, qui Saluatorem noſtrum alium hic ordiri ſermonem παραινετικον dicunt, directum contra ſecuritatem eorum, qui ſe a poteſtate ſatanae liberatos exiſtimabant, praedicendo iis longe triſtiſſimas indurationis poenas, quod poſthac Satan multo potentius eos occupaturus et agitaturus ſit, quam antea.* Eiusdem haec tenoris ſunt cum iis, quae deſideratiſſimum WOLFIVM in *curis* ſuis optime de hoc loco diſſerere ſub initium monui, omnium aſſenſu eo magis digna, quo clarius de mente ſeruatoris nos erudiunt. Et breuiter et perſpicue eodem modo iſtam lectori ob oculos ponit EDVARDVS LEIGH in *annotationibus philologicis et theologicis in vniuerſum nouum teſtamentum*, ex anglico ſermone in latinum translati et Lipſiae anno MDCCXXXII. in octopartita forma editis, *pag.* 70. Conf. et beati genitoris mei IO. FRIDERICI WINCKLERI *ueberſchwengliche Gnade Gottes, part. I. pag.* 765. *ſeqq.*

LXX.

LXX.

Ioann. II. 14. 15.

Quod a κειρω, *tondeo, ſeco, reſeco*, deſcendit, vocabulum κερμα in genere quidem *fruſtum, ſegmen* ac *minutum quodlibet* ſignificat, plerumque tamen de re nummaria vſurpatur, minoresque nummos, pecuniae facilius permutandae inſeruientes, denotat. Inde κερματιζω, *grandiorem monetam minori, lucri cuiusdam exinde capiendi cauſa, commuto*; quo ſenſu accipit id verbum ARISTOTELES *lib. II. meteorologiae, cap. VIII.* vbi: κερματιζειν εις λεπτα; quale lucrum Graecis κολλυβος, Germanis (in inferiori e. g. Saxonia) *Aufgeld* dicitur; qui vero illud accipiunt, κερματισται audiunt, inter Iudaeos aeque ac Gentiles notiſſimi.

Significationem, quam adduxi, vtrumque verbum κερμα et κερματισται habet noſtro in Ioannis diui loco. Hieroſolymas namque cum circa feſta tria illa maiora ac ſolemnia ingens inprimis confluueret ex remotiſſimis Iudaeae oris populi turba, ceu ex Actor. II. 5. ſeqq. videre eſt, grandiorem afferens monetam, minutiori vero pecunia, quo columbas, oues aliaque, ad ſacrificandum Deoque offerendum aliquid, ſecum

ex locis adeo diſſitis non afferenda, emerent, opus habentes, κερματιστας hosce varii adibant permutandi aeris gratia. Horum vero hominum in aula templi primum, deinde eiusdem in atrio tale exercentium commercium, dum menſas ſubuertiſſe atque κερμα effudiſſe legitur ſanctiſſimus Seruator, ERASMVS de *minuto aere* graecum illud vocabulum exponit, diſtinguens inter τραπεζιτας et κερματιστας, ita, vt illos fuiſſe dicat, qui quamlibet permutauerint pecuniam, quin imo mutuo illam acceptis vſuris dederint, hos vero tales ſuiſſe velit, qui pro grandiori tantum pecunia aes minus dederint commutari illam cupientibus; IOANNES quoque DRVSIVS in *praeteritis, ad Luc. XII.* 39. ERASMVS SCHMIDIVS, THEODORVS BEZA, et IOANNES PISCATOR *ad noſtrum* Ioannis *locum*, nec non EDVARDVS LEIGH in *critica ſacra noui teſtamenti, pag.* 175. *a.* per *minutias aeris* id exponunt. Generaliter contra, et, ſi quid iudico, optime *Vulgatus* illud accepit, per *aes* vertens, qua quidem ratione non a diuo noſtro LVTHERO ſolum in verſione ſua, ſed in *gloſſariis* etiam *graeco-latinis* CYRILLI et PHILOXENI legitur acceptum, necnon a CLAVDIO SALMASIO de *foenore Trapezitico, pag.* 547. itemque ABRAHAMO CALOVIO in *praefatione ad tamum I. bibliorum illuſtratorum veteris teſtamenti.* Addatur

FLA-

FLAVIVS ARRIANVS *lib. II. de diſſertationibus Epicteti, cap. X. pag.* 151. *ſeq.* et *lib. IV. cap. III. pag.* 309.

LXXI.

DEVTER. XXI. 12.

Quod ad ritum illum, circa mulierem extraneam captiuam Iudaeis a ſupremo Numine praeſcriptum, qui vltimis huius commatis verbis commemoratur, attinet, varias video de eo eſſe interpretum ac commentatorum ſententias. *Vulgatus, ſeptuaginta interpretes* et diuus noſter LVTHERVS de *circumcidendis* vnguibus, FRANCISCVS IVNIVS contra de *alendis* iisdem interpretati locum noſtrum ſunt. Diſſentiunt etiam in vertenda voce עשתה, quae in hebraeo textu legitur, Iudaei ipſi, aliis per *praecidere*, aliis per *creſcere facere* iſtam exponentibus. Vid. MATTHAEI POLI *ſynopſis criticorum, vol. I. pag.* 762. *ſeq.* et IOANNIS GERHARDI *commentarius ſuper Deuteronomium, pag.* 1247. *ſeqq.* Et ambigua ſane eſt vox haec, quam vtique *producere* et *creſcere facere* ſiue *alere* ſignificare, teſtantur loca varia, e. g. Geneſ. I. 10. 11. Pſalm. I. 3. Ierem. XVII. 8. cui graecum ποιειν reſpondet. Matth. VII. 17. Qui ex Iudaeis hancce amplectuntur interpretatio-

nem, probabilitatem illi conciliant ex legis huius diuinae intentione atque ſcopo, eo qui nimirum tendit, vt amore eiusmodi mulieris captum virum Iudaeum propoſiti ſui poeniteret, eiusdemque appetitus langueſceret, extraneam captiuam iſtam quando hunc in modum raſura capitis vnguiumque incremento deturpatam, et veſtibus indutam captiuae conuenientibus adſpiceret, pulchriori ſcilicet depoſita, in qua capta erat, veſte. Videtur inde non tam reſpondere ceteris circumſtantiis illorum, qui de praecidendis vnguibus vocem hic obuiam accipiunt, ſententia. Eadem mens eſt IOANNIS CHRISTIANI GENSELII in diſſertatione *de ritibus circa mulierem in bello captam a Iudaeo in thorum cooptandam*, quae in ipſius *obſeruationibus ſacris, p. 297. ſeqq.* legitur. Poſtquam enim ibi, quae ad explicandam totam hancce legem, commate 11 - 14. comprehenſam, pertinent, ex antiquitate Iudaica fuſe atque erudite illuſtrauit vir doctiſſimus, in ſpecie §. *XIV.* circa iſtum ritum, de quo ſermo nobis eſt, obſeruat, quod et tanquam lugentium ritus conſiderari poſſit iſte vnguium alendarum mos, et ad vilitatem perſonae, quo in oculis raptoris ſui fieret abominabilis, conciliandam a Deo praeceptus eſſe videatur.

Inte-

Interim HIERONYMVS alteri huius loci interpretationi allegoriam ſatis quidem pulchram ſuperinſtruxit, quae commoda ſalutari poſſet, niſi lubricum eſſet incertumque eius fundamentum. *Legerat*, ſcribit ille, de apoſtolo Paulo *epiſt. LXXXIV.* agens, *in Deuteronomio Domini voce praeceptum, mulieris captiuae radendum caput, ſupercilia, omnes pilos et vngues corporis amputandos, et ſic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum, ſi et ego ſapientiam ſecularem, propter eloquii venuſtatem et membrorum pulchritudinem, vt ancillam atque captiuam Iſraelitidem facere cupio, et, ſi quicquid in ea mortuum eſt, idololatricum, voluptatis, erroris, libidinum, vel praeſcindo, vel rado?*

LXXII.

EXOD. XXX. 12-15.

Iucundum eſt, profanis ex ſcriptoribus oſtendi ad hunc locum poſſe, quam tenaces fuerint diuini huius praecepti Iudaei in erogando quotannis dimidio illo ſiclo, ad ſacros vſus et promouendum diuinum cultum deſtinato. Inſignis hanc in rem conferri meretur locus, obuius in celeberrimi illius Romanorum oratoris, CICERONIS, habita *pro Flacco oratione*, vbi

cap. XXVIII. ſequentem in modum differit: *Cum aurum Iudaeorum nomine quotannis ex Italia et ex omnibus veſtris prouinciis Hieroſolymam exportari ſoleret, Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret. Quis eſt, iudices, qui hoc non vere laudare poſſit? Exportari aurum non oportere, cum ſaepe antea ſenatus, tum me conſule, grauiſſime iudicauit. Huic autem barbarae ſuperſtitioni reſiſtere, ſeueritatis: multitudinem Iudaeorum flagrantem nonnumquam in concionibus pro republica contemnere, grauitatis ſummae fuit.* Colligere ex illis, hic quae CICERO commemorat, licet, obſeruantiſſimam fuiſſe in mittendo quotannis Hieroſolymam dimidio ſiclo moris ſui Iudaicam gentem. Ipſum vero morem hunc vt iam explicare aggrediar, opus non eſt, cum ex antiquitatum Iudaicarum ſcriptoribus aeque ac commentatoribus, qui locum Moſis indicatum illuſtrarunt, peti illius accuratior delineatio queat. Nominantur praecipui eorum a beato IO. CHRISTOPH. WOLFIO in *curis philologicis et criticis, vol. I. pag.* 269. Imperatores vero Romanos aurum hoc Iudaicum ſibi vindicaſſe poſtea, graeci docent Iureconſulti; quorum verba leguntur apud IACOBVM CVIACIVM *ad X. cod. Iuſtin.* 75. Conf. etiam IOSEPHVS *lib. VI. haloſeos, c. XVI.* cuius verba adducit PETRVS ZORNIVS in *bibliotheca antiquario-egetica, tom. I.*

pag.

pag. 953. nec non SVETONIVS in *vita Domitiani, cap. XII.* ad quem locum plurima lectu digna annotauit ISAACVS CASAVBONVS. Addatur et TACITVS *de rebus moribusque Iudaeorum, cap. V.* quem ad locum varia itidem obſeruarunt commentatores.

LXXIII.

ACT. XXIII. 8.

Aliquoties iam ſupra ex SALOMONE GLASSIO monere me memini, quam facile oriri falſae hypotheſes ex curioſa et minus neceſſaria articuli conſideratione queant. Quam deprehendimus apud IOSEPHVM SCALIGERVM in *elencho trihaereſeos, pag.* 118. huius loci interpretatio falſa originem pariter eiusmodi articuli explicationi debet. Vult nimirum, quando contra NICOLAVM SERARIVM, Spiritum ſanctum minus recte hic intelligentem, ibidem diſputat, SCALIGER, poſitum cum articulo *το πνευμα* Spiritum indicare ſanctum, ſine articulo vero obuium vniuerſe, hoc eſt, latiſſime, indefinite ac indeterminate ſumi. Poſteriori autem modo hoc loco illud accipit, quoniam et reſurrectionem, et angelos, et in vniuerſum omnem Spiritum negauerint Sadducaei, nec Deum eſſe ſpiritum, ſed ens corporeum credide-

rint. Disputat autem contra eum pro more solito DIONYSIVS PETAVIVS in *notis ad Epiphanii librum de haeresibus*, *pag.* 28. Optime de hominum anima a corpore seorsim existente accipi hic πνευμα, monet beatus IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *curis philologicis et criticis*, *vol. I. pag.* 1335. cum eam non minus, ac angelos, negasse Sadducaeos, ex antiquitate constet. Conf. HVGO GROTIVS in *notis ad Matth. XXII.* 23. Mirum tamen simul esse WOLFIVS pronuntiat, quod errorem hunc fouere ac defendere non dubitauerit peruersa ista Iudaeorum secta, cum, si non integrum veteris testamenti codicem, pentateuchum tamen, contraria omnia confirmantem, receperit. Mirum id vtique dixerit quilibet. Ast non inueniunt hic tamen, quod nasci sibi inde putant, Iudaei hodierni infidi ac praefracti argumentum contra diuum Lucam causam agendi Sadducaeorum, ac si vel ideo, quoniam pro diuinis habuerint Mosis libros, apparitiones angelorum plus vna vice commemorantes, sequeretur, negare istos non potuisse angelos, falsaque a Luca hic ipsis errorem talem tribui. Valeret namque similis conclusio circa sectae huius de mortuorum resurrectione, (quam tamen negasse illos, ipsi Iudaei concedunt) errorem, a sanctissimo Seruatore pariter ex diuinis Mosis scriptis refutatum. Nec, quod pentateu-

teuchum ſolum pro diuino habuerint Sadducaei, contendunt HOTTINGERVS aliique. Vid. HVGO GROTIVS in *notis* ſuis *ad Matth. XXIII.* 8. ceterique allegati a beato IOANNE CHRISTOPHORO WOLFIO *loco citato, pag.* 316.

LXXIV.

MATTH. XVIII. 6.

Quid ſit μυλος ονικος, et num ſaxum molare, an vero ipſa machina molitaria ſiue totum molae aedificium intelligatur, non aeque clarum viſum fuit interpretibus. Communiter molam aſinariam, id eſt, grandiorem talem molam, hominum quae manibus circumagi haud poteſt, ſed ab aſinis vel equis circumagitur, oppoſitam molae truſatili, cuius lapis ſola hominis manu circumagi poteſt, (vti et Germani inter *Roß-Mühlen* et *Hand-Mühlen* diſtinguunt) interpretes, quo eo grauior indicetur hic a Seruatore eſſe ſcandalizanti poena impoſita, intelligunt, e. g. DESIDERIVS ERASMVS, *Vulgatus*, THEODORVS BEZA, IOANNES PISCATOR, ERASMVS SCHMIDIVS et *Syrus* interpres. Totam etiam ſtructuram et machinam molae HILARIVS intelligit. Vid. EDVARDI LEIGHII *critica ſacra noui teſtamenti, p. m.* 227. Sed ex re ipſa facile

quilibet coniiciet, iis, qui ſubmergebantur, non ſtructurum molarem ipſam, ſed ſaxum ſaltem molare magnum dici hic alligandum; vti expreſſe Marc. IX. 42. pro μυλος ονικος dicitur λιθος μυλικος. Obſeruandum autem, noſtro hoc Matthaei loco in nonnullis codicibus legi λιθος μυλικος. Conf. editio noui Teſtamenti *Caſauboniana*, vbi in margine λιθος μυλικος ponitur; itemque editio noui teſtamenti Moeno-Francofurtana, annō MDLXVII. a Wechelii haeredibus excuſa. Hos ſecutus eſt LVTHERVS, *ein Mühlſtein* vertens, nec non *Arabs*. Μυλος autem non tantum molam ipſam notat, ſed etiam lapidem molarem ac dentes molares; quod bene nouerunt DESIDERIVS ERASMVS, ERASMVS SCHMIDIVS et IOANNES PISCATOR, verſionem quidem Vulgati, *molam aſinariam* retinentes, in ſuis autem annotationibus *lapidem molarem* ſalutantes eam. Nec aſinum tantum, animal illud quadrupes, ſed et lapidem molarem notat ονος. Sunt quidem, qui hanc vocem et ſuperiorem et inferiorem lapidem ſignificare putant. Sed docent in *lexicis* ſuis HESYCHIVS et SVIDAS, ſuperiorem denotari iſta, qui mouetur ac per quem molitur, lapidem molarem. Bene igitur periphraſtice μυλος ονικος pro abſoluto ονος ponitur. Quod licet analogiae linguae graecae aduerſari putet GROTIVS, illi

illi tamen vt contrarium ſit, tantum abeſt, vt potius loqui ita ſaepius Graeci ament; v. g. quando virginem vel abſolute vocant παρθενος, vel κορην παρθενικον, *puellam virginalem*, nominant. Conf. ſcriptores, quos circa locum huncce explicandum allegauit beatus IOANNES CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *curis philologicis et criticis*, *vol. I. pag.* 271. Addatur HENRICVS BENEDICTVS STARCKIVS in *notis ſelectis criticis, philologicis et exegeticis in loca dubia ac difficiliora veteris et noui teſtamenti*, *part. IV. pag.* 57.

LXXV.

I. PARAL. XXIX. 29.

Mirum ſaepius viſum mihi fuit, cur circa locum huncce illuſtrandum occupati interpretes non attenderint ad tria iſta verba, hic obuia, נביא, רואה et חוזה accurate determinanda, quae ſicco potius, quod aiunt, pede transire video commentatores. Summe venerandus magnisque in eccleſiam pariter ac philologiam ſacram meritis prae ceteris clarus Lubecenſium praeſul IOANNES GOTTLOB CARPZOVIVS in aurea ſua *introductione ad libros veteris teſtamenti biblicos*, *part. III. cap. I. §. II. pag.* 5. de illis ita ſcribit: *Quamquam nonnihil diſcriminis inter*

inter haec tria vocabula intercedere, ex 1. *Chron. XXIX.* 29. *ſatis appareat, vbi res geſtae Dauidis ſcriptae dicuntur in verbis Samuelis* הרואה *Videntis, et in verbis Nathanis* הנביא *Prophetae, et in verbis Gadi* החוזה *cernentis; praeterea quoque obſeruare liceat, quod Samuel frequenter* רואה 1. *Chron. IX.* 22. *XXVI.* 28. *et Gad* חוזה 2. *Sam. XXIV.* 11. 1. *Chron. XXI.* 9. XXIX. 25. *vterque porro* Propheta *dicatur, neque tamen ordine inuerſo Samueli vmquam elogium* חוזה, *aut Gado titulus* רואה *tribuatur, Nathan demum* נביא *tantum audiat, quod ſane caſu aut temere factum nemo facile dixerit: ipſum tamen diſcrepantiae momentum in quo verſetur cardine, doctiſſimi virorum ſe ignorare fatentur.* Paucis interiectis eundem in modum *pagina ſequenti* iudicat vir ſummus: *Vnde ſatis, opinor, conſtat, eſſe quidem aliquod inter haec vocabula aeque ac munia diſcrimen, quod tamen, quale ſit, hodie ignoretur.*

Hac de differentia, quam concedit venerandus CARPZOVIVS, cum ſermones nuper ferere daretur cum praeſtantiſſimo illo philologo ac primario academiae Rintelienſis theologo, ſumme reuerendo IOANNE ENGELHARDO STEVBERO, ſpecialius paulo vtique differre a ſe inuicem tria iſta verba ac determinari etiam differentiam

tiam illam posse, autumabat vir hic doctissimus. Roganti mihi, vt, quae essent ipsius circa id discrimen cogitata, mecum beneuole communicaret, facilem se praebuit, sequentemque in modum datis ad me superiori anno die XI. Decembris literis scripsit: *Cum mihi constitutum esset, bono cum Deo hoc semestri aestiuo in prophetas, quos Iudaei priores vocant, praelectionibus commentari publicis: e re commilitonum meorum satis industriorum fore ratus sum, huic theologico-criticae commentationi introductionem generalem in lectionem eorumdem praemittere. In hoc dum versor instituto, atque quae olim in aduersariis notaueram relego ac perpolire allaboro, primo inquirendum loco duxi in nomina vatibus sacris ab Hebraeis imposita. Sunt autem plura, quibus recensendis et euoluendis nunc supersedeo. Eminent haec inter tria praesertim notatu dignissima,* נביא, רואה *et* חוזה, *atque iunctim leguntur* 1. *Chron. XXIX.* 29. *Num autem inter se, et quomodo differant? quaeritur, et posterior quaestio satis ardua ac omnium difficillima est. Enimuero si viris doctissimis* HERMANNO WITSIO *in miscellaneis sacris, lib. I. cap. I. §. XIX. et venerando* IOANNI GOTTLOB CARPZOVIO * *credimus, discrimen quidem aliquod inter haec intercedit vocabula,*

* *Loco a me iam indicato.*

la, quod tamen quale ſit, hodie ignoratur. Haeſitaui pauliſper, fateor, cum haec legerem, et fere animum deſpondi, quem tamen breui colligens ita rationes ſubduxi: Adeone pater luminum obſcure locutus eſt noluitque a nobis intelligi? Vix mihi hoc quidem ſimile videbatur vero. De certitudine et perſpicuitate tabularum ſacrarum, de demonſtratione veri eorundem ſenſus actum erit! Et cui tandem linguarum originalium et artis criticae peritia ſcripturarum interpreti vſui erit? Conſulebam itaque interpretes, commentatores antiquos pariter ac recentiores, quotquot ad manus habebam. Quo vero plures euoluebam, eo eram incertior. Quae IOANNES COCCEIVS *in commentar. linguae hebraeae, ſub radice* חזה, SCIPIO SGAMBATVS * *lib. II. archiuorum veteris teſtamenti, tit. XXII.* et CAMPEGIVS VITRINGA *in typo doctrinae propheticae de diſcrimine trium horum vocabulorum commentati fuerunt, ne non fugiebant. Attamen cum neque exemplis luculentis, neque rationibus coniecturas ſuas confirmaſſent, parum ego quidem ex his fluentis hauſi ſolatii. Alia igitur Deo duce et auſpice incedendum via eſſe facile praeuidens, ad duo praeſertim attendendum eſſe momenta arbitratus ſum, ſcilicet ad veram vocabulorum*

* Verba eius leguntur apud venerandum CARPZOVIVM *loco citato, pag. 5. ſeq.*

rum horum ſignificationem, et ad parallelismum. Ad prius quod attinet, deriuatur נביא *a radice* נבא *coniugat Niphal, adeoque paſſiuae ſignificationis eſt. Conf. 2. Timoth. III. 16. 2. Petr. I. 20. ſeq. Quae apud* EDVARDVM LEIGH *in critica ſacra veteris teſtamenti ad hanc radicem de diſcrimine ſignificationum* του נבא *et* התנבא *traduntur, facile concordantiarum ope refelluntur. Conuenit ſignificatu cum* נוב, fructus protulit, *metaphorice*, elocutus fuit, *Arabumque* נִבְּא, annuntiauit alteri, emicuit, *notatque generatim* Deo familiariter vti, *Geneſ. XX. 7. Conf. Iacob. II. 23. ſpeciatim* futura praedicere, *Deuter. XIII. 2.* ſacra carmina inſtrumento muſico vel cantu modulari, 1. *Samuel. X. 5.* interpretem oraculorum coeleſtium agere. *Hoſ. XII. 11. Vnde vocis deriuatae* נביא *ſignificationem ſatis generalem et latiorem eſſe, nemo non videt. Vox altera eſt* רואה, *tertia* חוזה, *quas inter me quidem iudice hoc intercedit diſcrimen:* ראה *notat*, acute et intente videre, *vnde* ראי, ſpeculum, *et* ראה, cornix, *a viſus acumine, et plus pollet, quam* חזה, *Prouerb. XXIV. 32. Ieſa. XXXIII. 20. quod ex longinquo vel per feneſtras aliquid videre innuit. 1. Reg. VII. 4. 5. Vnde coniicio, tribus his nominibus, quae plures pro ſynonymis habent, alludi ad diuerſos modos reuelationis diuinae Num. XII. 6. 7. 8. olim*

pro-

prophetis factae; ita quidem, vt נביא *nomen generale sit, istumque denotet,* cui quacunque ratione reuelatio obtigit, quam cum aliis communicat, רואה *illum designet,* cui in visione et somnio voluntas diuina manifestata fuit, חוזה *tandem aliquem indicet,* qui per aenigmata et figuras de rebus futuris certior factus est. *Neque obstant loca* 2. *Reg. XVII.* 13. * *Dan. VIII.* 15. *Temperare mihi interim nequeo, quin hoc loco viri clarissimi mihique amicissimis* IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII *satis ingeniosam coniecturam de tribus his vocabulis ex literis ad me datis humanissime exscribam:* Rationes ita duco, vt voces illas haud admodum differre credeam. Nam, 1. Sam. IX. 9. praelucente, olim vocatus est נביא, qui recentiori aetate appellatus fuit רואה. Quamobrem sic sentio, Samueli ab hominibus suae aetatis inditum fuisse cognomen רואה. Traditur ita 1. Samuel. IX. 9. 11. 18. 19. Gad vero dictus fuit חוזה. 2. Samuel. XXIV. 11. Nathani adhaesit cognomen הנביא. 1. Regum. I. 22. 38. cet. Gad versatus fuit in Iudaea montosa, Nathan Hierosolymis, Saul autem inter Ephraimitas et Beniaminitas. Quid mirum, si nomina ipsis adiecta sequantur idiotismum prouinciae? Aeque Germani sutorem alias vocant

* Adducit hunc vrgetque CARPZOVIVS *loc. cit. p. 6.*

cant *Schuſter*, alias *Schumacher*. Pellionem prouinciae aliquot vocant *Kürsner*, aliae *Peltzer*, aliae aliter. *Hactenus vir doctiſſimus. Praeterea* נביא *dicitur de prophetis veris et falſis, Ierem. XXVIII. 5. ſimiliter* חוזה *de vtrisque, Ezech. XIII. 16. Mich. III. 7.* רואה *ſemper veros denotat prophetas. Haec mea* (ita finem differendi in literis ſuis ad me datis humaniſſimis facit STEVBERVS praeſtantiſſimus) *de diſcrimine trium horum vocabulorum hariolatio eſt. Superſunt tamen in coniectura hac dubitationes nonnullae, quas ſi e medio tulero, hanc meditationem fortaſſis typis exſcribendam curabo auctiorem.*

Grata vero non poterunt non eſſe Lectori beneuolo cum ipſo haec communicata *Steuberiana* cogitata, quae, cum a viro celeberrimo, in philologia ſacra, praecipue orientali, verſatiſſimo, non, niſi ſolida ac limata, exſpectari queant, eo magis cunctis harum rerum peritis ſaliuam mouebunt, plenius elaborata fuſiusque demonſtrata ac dubiis, quibus forte (vti ipſe fatetur STEVBERVS venerandus) adhuc obnoxia ſunt, prorſus liberata illa propediem excipiendi. Quibus dum carere hactenus nos iubent cumulata eiusdem negotia, celare Lectorem nolui docta ipſius circa hanc rem, mihi amice expoſita, meletemata.

LXXVI.

EXOD. IV. 25.

Quid hoc loco *tangere pedes* ſignificet, interpretes diuerſimode determinare ſunt conati. Vid. MATTHAEI POLI *ſynopſis criticorum, vol. I. pag.* 308. *ſequ.* Praeter VATABLVM, RIVETVM, TOSTANVM alios, qui, a POLO commemoratos, BRENTIVS etiam in *comment.* Zipporam voluit praeputium filioli praeſectum indignabundam ad Moſis pedes proieciſſe. Videntur eidem etiam fauere explicationi *Tigurini* et IVNIVS, quorum illi ita huncce locum reddiderunt: *abſcidit praeputium filii ſui applicuitque pedibus eius* (Moſis.) Accedit iſti quoque praeter IO. FRISCHMVTHVM in *diſſertatione de circumciſione Zipporae,* Ienae anno MDCLXIII. habita, *cap. III.* §. *VI.* theologorum Saxonicorum celeberrimorum biga, ſumme reverendus SALOMON DEYLINGIVS in *obſeruationibus ſacris, part. II. obſ. X.* §. *IX.* et venerandus CHRISTOPH. HENR. ZEIBICHIVS in *bibliis exegeticis, ad h. l.* quos, licet non nominatos, ſecutus eſt CHRISTOPHORVS STARCKIVS *tomo I. ſynopſeos bibliothecae exegeticae in vetus teſtamentum, pag.* 821. Videtur autem mihi, vt verum fatear, vix eſſe credibile, matrem, quae filiolum, teneri

neri erga ipſum affectu mota, aegre circumcidere voluerat, tam viliter poſtea carnem eius habere et ad mariti pedes proiicere potuiſſe, praeſertim cum facilior ſuppetat interpretatio.

Ab Hebraeis nempe conſtat verbum נגע etiam ſumi pro *laedere* aut *vulnerare*, vt videre praeter alios eſt apud FLACIVM *part. I. clauis* ſuae. רגלים autem iisdem aliquando *pudenda* ſignificant, vti v. g. *tegere pedes* idem eſt, ac exonerare ventrem et tegere pudenda. Iudic. III. 24. 1. Samuel. XXXIV. 4. Quod licet GVILIELMVS TE WATER in diſſertatione *de Eliezaro, cui Deus mortem minatus fuerat, circumciſo et cum matre Zippora a Moſe ad Iethronem remiſſo*, obuia in *Miſcellaneis Groninganis, faſcic. I. pag.* 92. negare §. *VI. pag.* 117. *ſeq.* noluerit, eatenus tamen ſeſe mihi id probabit, dum contrarium, quod non fecit, demonſtratum dederit vir doctus. Aqua inde itidem *pedum* ſignificat vrinam. 2 Reg. XVIII. 27. *Pili* itidem *pedum* Iſ. VII. 20. denotant rem turpem, vt oſtendit VATABLVS in *notis ad h. l.*

Facilior ergo mihi videtur verborum Moſis horum interpretatio: *circumcidit praeputium filii ſui et vulnerauit eius pudenda*, quam ſecundum explicationem poſteriora

verba priora explicant, more Hebraeis vſitatiſſimo. Calculo ſuo eam praeter DRVSIVM approbarunt CASPAR SANCTIVS in *comment. ad Ieſ. VI.* et IACOBVS BONFRERIVS *comment. in pentateuchum, p.* 366. *b.* haud contradicente SALOM. GLASSIO in *philologia ſacra, lib. I. tract. III. ſect. VIII. p. m.* 304. quorum a partibus ſtare tutius commodumque magis eſſe iudico. Eadem etiam mens videtur fuiſſe CHRISTIANI LVDOVICI ERMISCHENII, in *der heiligen Blumen-Leſe, part. III.* vbi inde *pag.* 337. verba Zipporae ita παραφραζει: *Du biſt mein lieber Bräutigam, welchen es faſt Blut vnd Leben gekoſtet, mich zu ehlichen, vnd welchem ich auch durch meines Sohnes blutige Beſchneidung meine Liebe wieder zu erkennen gebe.* Iis, qui placandi angeli, increati ſcilicet, cauſa ipſius ad pedes proiecisſe, filii praeputium, vel ad pedes eius cecidiſſe, iſtum deprecatam, Zipporam aſſerunt, accedunt celeberrimi auctores *der vnſchuldigen Nachrichten, anni MDCCXI. pag.* 271. quando ab ERNESTO CHRISTIANO SCHROEDERO in *continuata acerra biblica Müllerіana, centur. VII. pag.* 683. non accurate ſatis ad Moſen Zipporae verba relata eſſe monent; accedit et reuerendus GEORGIVS LVDOVICVS OEDERVS in *der neuen vnd gründlichen Erleuterung ſchwerer Stellen heiliger Schrift, tom. I.*

pag.

pag. 322. beatum ſimul SEBASTIANVM SCHMIDIVM in partes vocans.

LXXVII.

EXOD. I. 7.

Quando dicuntur hic filii Iſrael creuiſſe et quaſi germinantes multiplicati eſſe ac roborati nimis impleuiſſe terram, vt *Vulgata* vertit, lucem forte huic loco accendunt, quae de foecunditate mulierum in terra Aegypti olim hiſtoriographi notarunt. Ita enim ARISTOTELES in *hiſtoria animalium, lib. VII. cap. IV.* ex interpreratione THEODORI GAZAE: *qui autem menſe octauo naſcuntur, viuere ac adoleſcere in terra Aegypti poſſunt, et quibusdam aliis in locis, vbi mulieres fertiliores ſunt multosque ſimul ferunt et pariunt, etiamſi monſtroſi ſint;* et paulo poſt: *nam quod plurimum et locis plurimis agitur, mulieres ſingulos ſingulae pariunt, ſed ſaepe et plerisque locis geminos etiam, vt in Aegypto quoque fieri certum eſt.* Similia his legere licet in fragmentis editioni IVSTINI a MATTHIA BERNEGGERO praemiſſis; et in Aegypto ſeptenos vno vtero ſimul gigni, auctor eſt TROGVS POMPEIVS. Addit loco citato BERNEGGERVS: *eadem fere totidem verbis Solinus cap. III.* Adſtipulantur iis, quae

differuimus, ipſi etiam Iudaei, qui ad praeſentem diui Moſis locum ita commentati ſunt: *ſex dictiones hic habentur: fructificarunt, et auxerunt, et multiplicati ſunt, et roborati ſunt valde valde, quibus reſpicitur ad feminas Iſraelitarum, quae ex vno ſemine concepto, ſex pariebant liberos, cum adhuc in Aegypto agerent.* Haud inelegans eſt IOANNIS BRENTII loci huius paraphraſis, quam ob oculos nobis poſuit beatus IOANNES ANTONIVS STRVBBERGIVS in *ſpecimine commentariorum Ioannis Brentii in compendium redactorum*, quod legitur in *der fortgeſetzten Sammlung von alten vnd neuen theologiſchen Sachen, anni MDCCXXIII. pag.* 343. *ſeqq.* vti *pag.* 352. hunc in modum: *Filii Iſraelis ita fructiferi fuerunt, quemadmodum arbores fructus ferunt, et ebullierunt, in morem reptilium aut aquatilium, et multiplicati ſunt magna copia et roborati ſunt ingenti fortitudine. Et vt omnino* (additur ibidem) *innumera multiplicatio ſignificetur, addit:* valde nimis. *Sed et illud, quod ſequitur,* et impleta eſt terra ab ipſis, *maximam multiplicationem indicat.* Conf. IOANNIS FRIDERICI BAVERI diſſertatio *de cauſa foecunditatis gentis circumciſae*, Lipſiae anno MDCCXXXIX. habita.

LXXVIII.

LXXVIII.

I. Corinth. III. 2. Hebr. V. 12. 13.

Liceat hic nonnulla addere iis, quae de lacte, tanquam optimo nutriendi paruulos medio, ad priorem locum differui in *der nähern Beleuchtung des Zuſtandes der Corinther*, quae inſerta legitur *der Hamburgiſchen vermiſchten Bibliothec, vol. I. p. 729. ſeqq.* Dum enim conuenientem Corinthiis cibum eſſe lac affirmat diuus Paulus Apoſtolus, ibid. *p. 745. ſeqq.* paucis, qualis ſit oppoſitio lac inter atque cibos ſolidos, hic ab apoſtolo notanter addita, monui. Cibi nimirum ſolidi adultorum ſunt, qui organa comeſtionis firmiora ac robuſtiora habent, nec recipere ſolum, ſed et concoquere cibos ſolidiores ob vehementiores motus ac labores poſſunt. Infantum autem organa firma validaque adeo nondum eſſe conſtat ad recipiendos cibos ſolidos. Tantum enim nondum caloris ſtomachus eorum habet, quantum ad concoquendos illos requiritur. Quo vero gaudet infantilis ſtomachus, calor ſufficit ad lac concoquendum, quod in ſuccum ſanguinemque, vti aiunt, ſtatim conuertitur.

Commune inde erat puerorum in Iudaea nutrimentum lac aeque, ac mel, cuius vtriusque ingens dabatur in iſta terra copia, propter paſcuorum vbertatem ſedulamque

pecoris culturam, inprimis vero ouilli ac caprini lactis, ex Prouerb. XXVII. 27. patet. Gentiles inter ſimile paruulorum nutrimentum vſu receptum erat, ita, vt pro illis placentulae ex tritico ac melle praeparentur, *melliti globuli* dictae, de quibus vid. MARCVS ANTONIVS MVRETVS *lib. XVII. variarum lectionum, cap. XV.* et IOANNES PETRVS LOTICHIVS in *commentario ad Petronium, pag.* 17. De lacte inprimis conferantur IANI GRVTERI *animaduerſiones in Senecam, eiusdemque epiſtolam XX.* Conficiendis autem variis talibus ex lacte atque melle eduliis certi homines nauare operam ſolebant, *dulciarii* et *lactarii* dicti, qui varia *mellita* ſiue *lactaria* (nominibus hisce appellabantur apud veteres iſta edulia) adornabant, de quibus vid. LVCIVS APVLEIVS *lib. X. metamorphoſeos*, cum BEROALDI commentario, AELIVS LAMPRIDIVS in *Heliogabalo* et MARTIALIS *lib. XIV. epigr. CCXX.*

Ratio interim eiusmodi nutritionis, vti *loco citato* ex CAMPEGIO VITRINGA inprimis obſeruaui, haec eſt: α) namque, vt et ipſe iam monui, et diſertis verbis Paulus addit, non difficile adeo concoctu lac eſt, quam cibi reliqui. β) Omnium etiam liquidorum optime nutrit lac, vti eſt in *ſchola Salernitana, cap. IX.* quo duodecim com-

commemorantur alimentorum genera plurimum nutrientia et pinguefacientia. Vid. CLEMENS Alexandrinus *lib. I. paedagogi, cap. VI.* ALEXANDER Aphrodiſienſis in *problematibus medicis et naturalibus, lib. II. quaeſt. LXXIV.* PAVLVS AEGINETA *lib. I. de re medica, cap. LXXXVI.* VARRO *de re ruſtica, lib. II. cap. XI.* CLAVDIVS GALENVS *lib. III. de aliment. facultate, cap. XXV.* et *lib. X. de ſimplicium facultatibus, cap. VII.* nec non libro *de cibis boni et mali ſucci, cap. VI.* ALTIVS Amidenus in *ſyntagmate medicinae ex veteribus contractae, lib. II. cap. XCII. ſeq.* et ORIBASIVS Pergamenus in *ſynopſi medica, lib. IV. cap. XII. XVIII. et XL.*

Factum inde eſt, quod lacte victitarint Maſſagetae, Maſſaeſyli, Sueui Britannique; lacte, caſeo et melle Myſi ac Germani; lacte ſanguine mixto Meroitae; lacte canum Cynamolgi; equorum Agaui; camelorum Arabes; elephantum Aethiopes; de quo conferri poſſunt auctores allegati paſſim. Phtiſicorum etiam alimentum hinc optimum lac eſſe iudicatur, quo emaciatum corpus reſtauretur; licet variorum eius generum aliud habetur alio ſanum conueniensque magis. Nam poſt hominis lac inprimis in *ſchola Salernitana* celebratur *cap. XXXIV.*

*Lac φθισικοις ſanum caprinum * poſtque cameli,*
*Ac nutritiuum plus omnibus eſſe aſininum **,*
Plus nutritiuum vaccinum ſic et ouinum.

Vid. ARNOLDVS Villanouanus in *commentario in ſcholam Salernitanam, pag.* 199. AVICENNA in *canone medicinae, lib. II. cap. CCCCXLII.* CLAVDIVS GALENVS in *methodo medendi, lib. VII. cap. VI.* ABVBETRVS RHAZES ſiue RHASIS *lib. III. ad Almanſorem, cap. XV.* et HIERONYMVS CARDANVS *lib. II. de contradictionibus medicorum, tract. IV. contradict. I.* Nec bene ſolum nutrit inter liquida lac, ſed ita quidem ſingulari prorſus modo nutritioni conuenit, vt eo ſolo vtentes aliis carere eſculentis poſſemus; quod quamuis inficias quidam eant, ſplendide tamen id declarauit ARTEMIDORVS Daldianus *lib. I. ονειροκριτικων, cap. XVII.*

Ceterum ex more hocce, mel et lac puſionibus praebendi, ortum traxit receptus olim

* *Lacte caprino vel cerebro leporum perunctae gingiuae faciles dentitiones faciunt* Verba ſunt PLINII in *hiſtoria naturali, lib. XXVIII. cap. XIX.*

** Vid. de eo IOANNES COSTAEVS *lib. I. de lactis ſerique natura, cap. VI.* et *lib. III. cap. II.*

olim in primitiua eccleſia ritus, ſecundum quem lac ſimul ac mel recens baptizatis, tanquam infantibus et iam recens eccleſiae natis, (vnde et *quaſimodogeniti* dicebantur) guſtandum porrigebatur, in ſignum ſcilicet innocentiae et ſimplicitatis, nec non concordiae, qualis in infantibus ac inter eos eſſe ſolet, docente TERTVLLIANO *lib. I. de corona militis, pag.* 449. Videantur, qui ex HIERONYMO in *commentar. ad Ieſa. LV.* morem hunc vberius explicarunt, ROSWEIDVS, SARTORIVS, BEBELIVS atque MARTENE, allegati a beato IOANNE ALBERTO FABRICIO in *bibliographia antiquaria, cap. XI. §. XXV. p. m.* 391. Mihi ſane id videtur probabilius, quam ſi cum aliis aſſerere quis velit, factum hoc fuiſſe imitandi Seruatoris cauſa, primosque Chriſtianos ad Ieſa. VII. 15. quo puerum Chriſtum lacte, butyro et melle vſurum eſſe propheta praedixit, reſpexiſſe. Vid. AMBROSIVS in *commentario in Lucam, lib. V. ſeq.*

LXXIX.

SIRAC. XXXIX. 31.

Quando hic homini ad victum mel etiam neceſſarium eſſe Siracides affirmat, eo ipſo confirmantur, quae ſub initium ſuperioris obſeruationis de more veterum, vna cum

cum lacte mel in nutriendis infantibus adhibendi, differui. Iudicabatur nimirum lac multo ſalubrius eſſe, melle ſi miſceretur. Sic enim doctiſſimus ille medicus IOANNES KATSCHIVS * in libro *de conſeruanda ſanitate, pag.* 439. de eo ſcribit: *Lac omnium fere medicorum ſententia probatiſſimi ſucci habetur. Muliebre tamen lac primas ſibi vindicat. Deinde lac aſininum, poſtea caprinum, tandemque vaccinum et ouinum. Neceſſe autem eſt, vt animal, ex quo lac ſumitur, ſit boni habitus bonique ſucci, qui quidem ex optimis paſcuis ac nutrimentis eueniunt. Immiſcenda tamen lacti eſt mellis puri vel ſachari aut ſalis portio, ne in ſtomacho coaguletur.* Docet idem etiam, puerorum in dentitione maximum vſum praebere mel lacti admixtum, ita, vt, ſi ex lacte caſeoſum quid gingiuae adhaereat, vnde flaccidi putrefactionique obnoxii fieri dentes poſſunt, mel id omne diluat.

LXXX.

* Quem miror, vna cum aliis notatu tamen dignis, omiſiſſe experientiſſimum CHRISTIANVM GVILIELMVM KESTNERVM in *dem mediciniſchen gelehrten Lexico*, opere alias, vti laboriſſimo, ita et vtiliſſimo. GEORGIVS MATTHIAS KOENIGIVS in *bibliotheca* ſua *veteri et noua*, *pag.* 443. de eo conſulere nos iubet IOANNEM ANTONIDAM VAN DER LINDEN *de ſcriptis medicis*, *pag.* 364.

LXXX.

MATTH. III. 4. MARC. I. 6.

Dum in antecedentibus de melle aliquid in medium protuli, non potuerunt non in mentem loca haec venire, vbi de Ioanne baptiſta, quod ipſius quoque cibus mel fuerit, euangeliſtae narrant. Variorum illa iam exercuerunt ingenia, copioſe allegatorum a beato IOANNE CHRISTOPHORO WOLFIO in *curis philologicis et criticis, vol. I. pag.* 52. quibus addi poterit vir doctiſſimus IOANNES CHRISTOPHORVS HARENBERGIVS in *obſeruatione de cibo Ioannis Baptiſtae, in ſolitario commorantis loco,* quae in *otiis* ipſius *Gandersheimenſibus ſacris, pag.* 1. *ſeqq.* legitur, §. *X. ſeqq. pag.* 15. *ſeqq.* At ſunt, quae circa virorum horum doctiſſimorum cogitata monere licebit.

Μελι αγριον cum *Vulgata* varios, e. gr. DESIDERIVM ERASMVM, ARIAM MONTANVM, IOANNEM PISCATOREM et ERASMVM SCHMIDIVM interpretatos eſſe *mel ſylueſtre;* THEODORVM vero BEZAM *mel agreſte* vertere maluiſſe, ex ſcriptoribus a WOLFIO laudatis diſcimus. Poſterior interpretatio magis etiam ſe probauit EDVARDO LEIGH in *critica ſacra noui teſtamenti,*

ti, p. m. 5. a. et FRIDERICO SPANHEMIO in *dubiis euangelicis, part. II. dub. XCIX. pag.* 640. latius quoniam το *agreſte*, quam *ſylueſtre*, pateat, agreſteque omne ſit, quod ſylueſtre; non vice verſa. Ad *Syrum* interpretem prouocant tum LEIGHIVS tum SPANHEMIVS, qui voce generica vſus hic fuerit, mel, quo vſus Ioannes eſt, *mel agri* vel *campi*, non *ſyluae* tantum, vocans. Videndum ergo eſt, αγριος quid ſit ac ſignificet, diiudicare hanc rem ſi velimus. Deſcendit vox haec ab αγρος, *ager*, *campus*, variasque admittit pro materiae diuerſitate ſignificationes, ita, vt, quando de herbis, plantis et arboribus vſurpatur, hortenſi ac ſatiuo, quod hortulanorum cura educatur, opponatur; quando vero de animalibus adhibetur, manſueto ac domeſtico contradiſtinguatur. Poſteriorem ſignificatum metonymicum appellat CHRISTIANVS STOCKIVS in *claue linguae ſanctae noui teſtamenti, p. m.* 24. Iam, quale mel hic ſit intelligendum, comeſtum a Ioanne, facile patet. Quales ſcilicet ſunt apes, tale et eorum iudicandum mel. Vnde recte diuus LVTHERVS vertit: *wild Honig*. Diſtinguit autem PLINIVS in *hiſtoria naturali, lib. XI. cap. XVIII.* apes in ruſticas ſeu ſylueſtres, et in vrbanas. Sylueſtres dicit eſſe horridas aſpectu multoque vrbanis feriores, ſimul vero labore etiam praeſtan-

ſtantiores. Idem *cap. XVII.* mei quoque ſylueſtre commemorat. Quale vero hoc? THEOPHYLACTVS id deſcribens, a ſylueſtribus apibus cauis in arboribus congeſtum fuiſſe dicit. Quo ipſo, meliorem hanc interpretationem eſſe, patere puto, quam ſi cum BEZA et SPANHEMIO *agreſte* vertamus, quod quale ab ipſis intelligatur, ex STOCKIO conſtare credo, qui *citato loco* addit: *quod in agris prognaſcitur, vel quod agri producunt.*

Pro ſucco, ex arborum humoribus reſudante, mel hoc, a Ioanne comeſtum, habent IOANNES LIGHTFOOTVS in *chorographia Marco praemiſſa, cap. II. §. V.* HADRIANVS RELANDVS in *palaeſtina, lib. I. cap. LVII. p. m.* 382. beatus WOLFIVS *loco citato,* HARENBERGIVS *loc. cit. pag.* 19. IOANNES CHRISTOPHORVS HARENBERGIVS *loc. cit. §. XIII. pag.* 19. et HERMANNVS VON DER HARDT tum in *programmate,* anno MDCXCVIII. edito, (ad quod STOCKIVS *loco* ſtatim *allegando* prouocat) tum in *exegeſi difficiliorum quatuor euangeliſtarum locorum* manuſcripta, vbi ad priorem noſtrum locum ita commentatur: *Mel ſylueſtre eſt ſuccus ex arboribus quibusdam inciſis manans, maxime ex ficubus et palmis. Qui dulcis palmarum ſuccus propter dulcedinem dicitur mel, et quidem*

dem ſylueſtre, quod in ſyluis ex palmis inciſis colligeretur. Vnde propter copiam huius ſucci dulcioris palmarum aut mellis ſylueſtris terram Canaan melle fluxiſſe, hoc eſt, eo melle abundaſſe refert Moſes, vt eſſet condimentum cibi vulgare, ruri quotidianum. Tribus autem argumentis explicationem hanc refutauit laudatus STOCKIVS in doctiſſimis ſuis *obſeruationibus philologicis, criticis et exegeticis in nouum teſtamentum*, quibus illud illuſtratum Ienae anno huius ſeculi XXXI. in forma octopartita maiori edidit, *pag.* 27. *ſeq.* α) quia ob ingentem mellis copiam terra Iſraelitica *terra melle fluens* dicta fuerit; β) quoniam *duplex* Iſraelitis fuerit *mel*, *domeſticum* alterum, quod ex apibus cultis, alterum autem *ſylueſtre*, quod feris ex apibus fuerit, vel in nudo ſolo, vel in cauis arborum, vel in fiſſuris rupium depoſitum, cuius generis illud 1. Sam. XIV. 27. fuiſſe cenſet; γ) quia temerarium ſit, citra vrgentem neceſſitatem literae a proprietate recedere. Habet ergo STOCKIVS hocce loco mel Ioannis pro tali, quod ex apibus feris fuerit; praeter WITSIVM, STOLBERGIVM et BOCHARTVM etiam venerandum CHRISTOPHORVM MATTHAEVM PFAFFIVM citans in *notis exegeticis in euangelium Matthaei*, quem vero dum euoluo, *pag.* 75. ſola WITSII verba adducta eſſe deprehendo. STOCKIVM interim ſuam in priori

priori loco, nimirum in *claue linguae ſanctae noui teſtamenti*, exhibitam ſententiam mutaſſe, apparet, vtrumque locum ſi ſecum inuicem conferamus.

Interim num mel hocce, a Ioanne baptiſta comeſtum, amariſſimum guſtuque prorſus ingratum fuerit? alia quaeſtio eſt. Primus opinionem iſtam ſuam fecit ISIDORVS Peluſiota in *epiſtolis* ſuis, *lib. I. epiſt. CXXXII.* quam amplexi deinde ſunt tum EVTHYMIVS ZIGABENVS in *commentario in quatuor euangeliſtas*, *ad h. l.* tum ex pontificiae eccleſiae addictis plurimi, inprimis ALPHONSVS SALMERO, THOMAS STAPLETONVS et CORNELIVS A LAPIDE. Pontificii namque cum Ioannem primum eremitam ac vitae monaſticae auctorem fingant, mel, quo vſus eſt, amarum fuiſſe volunt, quoniam pro peccatis ſuis ſatis feciſſe eum hoc ipſo contendunt, quod fieri ab illo non potuiſſet, dulce vel commune delicatius mel ſi ad victum adhibuiſſet. Somnia iſta ſatis ſunt exploſa a viris doctiſſimis, quos WOLFIVS *loc. cit. pag.* 49. allegauit. Prolixe etiam ea de re diſſerit DANIEL HEINSIVS in *exercitationibus ſacris*, ad priorem noſtrum locum, obſcure vero mentem ſuam exponit, et ad pontificiorum commemoratum aſſertum accedere ferme videtur, ſtatuens, mel iſtud ideo

ſylueſtre dici, quod ex herbis inſuauibus collectum fuerit. Vane omnino. Quales enim herbae ſeu flores, ex quibus mel colligunt apes, tales et mel ipſum.

Et omni ſane fundamento iſta deſtituitur hariolatio, nec ſcripturae ſacrae minus repugnat, quippe quae Iudaeam non ab illo ſolum melle, quod ab vrbanis apibus congerebatur, verum ab illo quoque, quod in agris ac ſyluis paſſim reperiebatur, tantopere commendat. Nec ab vllo, ſiue ſacer ille ſit, ſiue profanus, ſcriptore reprehendimus, commemoratum amarum aliquod in Iudaea vmquam repertum mellis genus. In finitimas potius oras transuehi mel Iudaicum ſolitum fuiſſe, conſtat. Non, niſi ſuaue amoenumque, erat mel Simſonis, Iudic. XIV. 8. 9. atque Ionathanis. 1. Samuel. XIV. 29. Commendatur etiam mel petrae, quod nihil aliud erat, quam mel ſylueſtre, in petras ab apibus ſylueſtribus congeſtum, tum a Moſe, Deuter. XXXII. 13. tum a Dauide. Pſalm. LXXXI. 17.

Largitur SPANHEMIVS *loc. cit.* §. *VI. pag.* 638. amarum dici mel poſſe effectiue, medicorum quoniam teſtimonio conſtet, dulcia omnia (inde mel pariter) in bilem cito conuerti, ſanguinemque efficere amarum ac biloſum. Vid. SVIDAS in *lexi-*

lexico, voc. μελι. Formaliter autem amarum dici mel poſſe, hoc eſt, in ſe ac guſtu ſuo amarum, negat SPANHEMIVS. Dum vero negat hoc, habet contradicentem ſibi experientiam. Reperitur nimirum in Sardinia mel formaliter ac guſtu ſuo amarum, teſte PEDACIO DIOSCORIDE *de materia medica, lib. II.* et CLAVDIO GALENO *de ſimplicium facultatibus, lib. VII.* Dari etiam in inſula Corſica amarum mel, DIODORVS Siculus perhibet in *bibliotheca* ſua *hiſtorica, lib. V.* Quare in cauſas, mel cur amarum ſit, inquiſiuerunt veteres. Et Sardiniae quidem mel inde amarum eſſe putauit DIOSCORIDES, abſynthium quoniam petant in Sardinia apes; vti Corſici mellis amaritudinem ab arbore Buxo DIODORVS Siculus *loc. cit.* deriuat, a paſtu cicutae OVIDIVS *lib. I. amorum, eleg. XII.* ab arboribus taxeis VIRGILIVS *ecloga V.* et a Thymis MARTIALIS *lib. XI. epigram. XIII.* Dari etiam venenata mella, teſtantur PLINIVS, ARISTOTELES, ATHENAEVS atque DIOSCORIDES. Vid. SAMVEL BOCHARTVS in *hierozoico, part. II.* Quando autem PLINIVS *loc. cit. cap. XVI.* mel in autumno collectum ſiue autumnale peſſimum eſſe affirmat, ericae quoniam tunc floreant, ex quibus dum ſugant ſuccum apes, mel inde ericaeum detur; de Italia, PLINIVS quam incolebat, hoc tantum in-

telligendum eſt, cum in oriente et autumnale mel gratum amoenumque ſit.

Illis, qui cum manna, ſingulari miraculo Iſraelitis a Deo in deſerto conceſſo, vnum idemque fuiſſe mel, Ioannes baptiſta quo vſus fuit, volunt, (nominat tres ſaltem, SVIDAM, SALMASIVM et IOBVM LVDOLFVM beatus WOLFIVS *loc. cit. pag.* 52.) addi etiam poteſt CHRISTIANVS DRVTHMARVS, Corbeienſis olim noni ſeculi monachus, in *commentario ad Matth. III.* 3. Sententiam autem hanc digne refutaſſe BOCHARTVM, ſimul monet WOLFIVS, ipſe eandem improbans.

LXXXI.

IEREM. XX. 1.

Plerisque interpretibus, e. g. VATABLO, MALDONATO, FRANCISCO IVNIO, IOANNI PISCATORI, SEBASTIANO SCHMIDIO, aliisque, videtur hic Paſchur, פקיד נגיד, *praefectus princeps*, id eſt, *primarius*, dictus, proximus dignitate fuiſſe a ſacerdote magno, qui ideo Ieremiam prophetam percuſſerit, quin et in carcerem eundem coniiciendi ac exinde rurſus educendi poteſtatem habuerit. Sane ſacerdotem fuiſſe, vti et pater eius fuit, patet. Num

Num vero rebus ſacris extra ordinem praefectus fuerit, an ſacerdotibus illorumque XXIV. familiis; prouti R. KIMCHI autumat, incertum eſt. Optime videtur aſſeri, quod Leuitis praefuerit ianitoribus, quorum 1. Paralipom. XXIII. 4. XXVI. 1. ſeqq. mentio fit, vt ipſius cura circa templum huiusque cuſtodiam fuerit verſata, quemadmodum ceterorum ſacerdotum opera in peragendis ſacrificiis conſiſtebat. Confirmatur haec ſententia ex Actor. IV. 1. V. 24. vbi στρατηγος του ιερου proxime poſt ſacerdotem ſummum commemoratur. Conf. IOANNES CLERICVS in *notis ad verſionem noui teſtamenti Gallicam, ad Luc. XXII. 52.* inprimis ANTONIVS BYNAEVS *lib. I. de morte Chriſti, cap. IV. §. III. ſequ. pag.* 339. qui locum hunc noſtrum ex Ierem. XXIX. 26. 27. illuſtrat, vbi praefecti templi commemorantur, quorum hic Paſchur princeps fuit. Quicquid eius rei ſit, primaria eius fuit inter ſacerdotes dignitas, quae forte templo aedificato demum exorta poſteaque conſeruata fuit. Addatur CLERICO et BYNAEO ſupra allegatis, qui tum eorum, tum HAMMONDI veſtigia circa hanc rem ſequitur, venerandus SALOMON DEYLINGIVS in *obſeruationibus ſacris, part. III. obſeruat. XXXII. §. IV. p. m.* 304. *ſequ.*

LXXXII.

1. PETR. II. 2.

Dum hic το λογικον γαλα commemorat diuus apoſtolus, obſeruandum eſt, a voce λογος quidem deſcendere το λογικον, non vero quatenus *rationem*, ſed, quatenus *ſermonem* illa denotat, adeoque λογικον hic non *rationale*, ſed *ſermocinale* ſignificare. *Rectiſſime illi agere videntur*, (verba ſunt beati IOANNIS CHRISTOPHORI WOLFII in *curis* ſuis, *vol. IV. pag.* 106.) *qui phraſin per* lac ſermonis *ſeu* verbi *cum* BEZA *et* ERASMO SCHMIDIO *conuertunt, quemadmodum* THOMAS HAYNE *in praefatione ad diſſertationem de cognatione linguarum pag.* 13. *analectorum* CRENII lac verbi, in ſacris ſcripturis contenti, *interpretatur.* Eundem in modum ſcribit etiam beatus CHRISTIANVS STOCKIVS in *clauе linguae ſanctae noui teſtamenti, p. m.* 625. Το λογικον γαλα, *id eſt*, γαλα του λογου; *lac verbi diuini, vt diſtinguatur a lacte materiato, quod non eſt animi, ſed corporis.* Addatur PETRVS SIGISMVNDVS PAPENIVS, qui in *lexico onomato-phraſeologico in codicem ſacrum noui teſtamenti, pag.* 568. ſenſum apoſtoli pari ratione eruit: *Dicitur* γαλα λογικον, *non a* λογω *noſtro interno ſiue ratione noſtra, vti* LVTHERVS *vertit:*

ver-

vernünftige Milch, *ſed a materia, ex qua lac illud conſiſtit, ex λογω προφορικω Dei, cuius mentio erat facta cap. I. 23. vt rectius poſſit, quin imo debeat verti:* Wörtlich, eine Milch, die Gottes Wort in ſich faſſet. *Hinc in Anglicana verſione lac illud λογικον accuratius exponitur de lacte* of the Word, *id eſt, verbi diuini. Eiusmodi lac eſt ſpirituale, vti Syrus το λογικον hoc loco παραφραζει.* Conferantur et ABRAHAMVS CALOVIVS atque IOANNES GERHARDVS *locis* a SALOMONE DEYLINGIO *citatis* in *obſeruationibus ſacris, part. III. obſeru. XLI. §. VIII. ſub finem, p. m.* 405. nec non CLEMENS STRESO in *meditationibus in epiſtolas Petri, pag.* 53.

Receptum autem illud, graecis ſcriptoribus eſt, vt pro ſubſtantiuo ſuo in genitiuo adhibendo ponatur adiectiuum. Sic namque DIODORVS Siculus *lib. XIV. bibliothecae hiſtoricae, pag.* 416. ſcribit: *πολιτικαι παρθενοι, virgines ciuiles,* id eſt, *virgines ciuium, Bürgers-Töchter.* HOMERVS diem reditus ab obſidione Troiana dicit *diem reditiuum* pro *die reditus;* vti et AESCHYLVS *conſilium Iouianum* commemorat, id eſt *conſilium Iouis,* item *corpus Agamemnonis.* PINDARVS *animae Memnoniae* mentionem facit, id eſt, *animae Memnonis,*

nec non υιου Ξεναρχειου, hoc eſt, υιου Ξεναρχου.

LXXXIII.

Iesa. I. 1.

Verba primi huius commatis titulum totius libri generalem, non ſpecialem capitis primi επιγραφην, nobis exhibere, aperte ſatis conſtat, patetque id clariſſime ipſa eius ex inſpectione et analyſi, vbi exhibetur *tum* libri argumentum, quod ſit חזון, *tum* auctoris nomen, *tum* auditorum, Iudae ſcilicet et Hieroſolymae, *tum* tempus etiam, quo prophetias iſtas ediderit diuinus vates. Continet ergo omnes partes titulus hic, quae ad generalem titulum pertinent. Conf. Ierem. I. 1. 2. 3. Imo ſole clarius apparet, quod ad ſolum primum prophetiae Ieſaianae caput applicari titulus hic nequeat. Tempore namque certi alicuius ex nominatis regibus debuit in viſione oblatum eſſe illud Ieſaiae, vel Vziae tempore, vel Iothami, vel Ahaſi, vel Hiskiae, neutiquam omnium illorum regum tempore, ad quorum omnium temporum tamen το חזון refertur. Conf. et Amos. I. 1. Mich. I. 1.

Con-

Contrarium ſtatuunt ex Iudaeis SALOMON IARCHI *in h. l.* et ISAACVS ABARBANEL in *praefatione in Ieſaiam*, quos ſecutus eſt ARIAS MONTANVS in *comment. ad h. l.* Probare hic nititur ſententiam ſuam α) ex eo, quod idem fere titulus cap. II. 1. repetatur; ſuperuacaneum vero hoc iudicandum eſſe cenſet, ſi pro generali habenda foret iſta ἐπιγραφη. Sed vana haecce eſt obiectio; quaſi quidem particula tituli generalis repeti non poſſet in inſcriptione particulari. Et facile ſe prodit huius et illius tituli diſcrepantia. Hic nimirum eſt חזון, ille הדבר. Hic tempus additur, ibi nullum. Vnde vnicum hoc ſufficere poſſet ad refutandam iſtam obiectionem. Verum nec maioris pretii ſunt, quando vrgetur, β) obſeruari a Ieſaia vate morem hunc, vt priuatis et particularibus prophetiis peculiarem propriamque inſcriptionem praeponat, addito nomine gentis, ad quam illa ſpectat. Reſp. enim, quod inde potius inferamus, generalem hunc eſſe titulum, reliqui quoniam particulares ſunt, ita, vt, quid in hoc generatim continetur, explicite magis in illis oſtendatur et exhibeatur. Obuertunt porro quidem diſſentientes, γ) pluralem adhiberi debuiſſe, pro generali ſi habendus iſte titulus eſſet, quoniam plures exhibeantur in toto prophetiarum Ieſaiae volumine viſiones. Sed et hic reſp.

frequentiſſimum Hebraeis eſſe, ſingularem pro plurali adhiberi. Quare, quando δ) argumentatur MONTANVS, τὸ חזון omnes non complecti prophetiae formas, ſed certum tantum eiusdem genus quoddam ſignificare, facile refutatur ex eo, quod ipſe *p.* 22. concedat, Ieſaiam hoc potiſſimum prophetiarum genere quaſi familiari vſum fuiſſe. Mirum namque vel ideo non eſt, omnes ipſius prophetias a communiſſimo genere denominari. Praeterea nihil, quo minus Synecdochen ſpeciei pro genere hic ſtatuamus, obſtat. Et licet contra rationem ex temporis deſignatione petitam excipiat, (1) quod prophetiam huius capitis quater, ſub ſingulis regibus ſemel, viderit diuinus vates, (2) quod verba אשר חזה על יהודה וירושלם non exponenda ſint: *quam* (ſcilicet prophetiam) *vidit* etc. ſed: *qui vidit, vaticinatus eſt;* comparata tamen haec pariter argumenta ita ſunt, vt ad illa facillime reſponderi queat. Ad *primum* nimirum quod attinet, ineptum id eſt commentum, ex praeconcepta ſaltem opinione ortum et ſimili exemplo carens. Quoad *ſecundum* vero, accentuatio repugnat eiusmodi interpretationi. Adeoque neceſſario infertur, non ſpecialem, ſed generalem eſſe titulum hunc, primo commate comprehenſum. Vid. AVGVSTVS VARENIVS in *commentario ad h. l. pag.* 1. *ſequ.* et GEORGIVS

GIVS CHRISTOPHORVS DACHSELIVS in *bibliis hebraicis accentuatis, part. II. pag. 3. ſeq.* Quo ipſo mirum magis mihi videtur, ſomnia talia IARCHII, ABARBANELIS et ARIAE MONTANI probare ſeſe potuiſſe doctiſſimo CAMPEGIO VITRINGAE in *commentario in Ieſaiam, tom. I. pag. 25. ſequ.* eundem cum illis errorem erranti.

Ibidem vero et in eo grauiſſime errat VITRINGA, quod non a Ieſaia vate, ſed a Sacerdotibus et Leuitis, quorum curae vaticinia eiusmodi committi ſolebant, praefixam fuiſſe prophetiae huic pariter, ac reliquos ceterarum prophetiarum titulos, inſcriptionem iſtam autumet. Conferantur notae ad hunc locum noſtrum obuiae in *verſione Gallica*, quarum auctor hauſiſſe illam hypotheſin videtur ex IOANNIS CALVINI *praefatione ad Ieſaiam*, et *comment. ad Ieſa. VIII. 2.* et *Ierem. LI. 64.* Idem tradidit etiam HVGO GROTIVS in *annotationibus* ſuis *ad Amos I. 1.* recte idcirco refutatus a beato ABRAHAMO CALOVIO in *bibliis illuſtratis, ad l. c.* Nimis enim periculoſam eſſe iſtam hypotheſin, quis non videt? Accedit, niti eam alia, aeque incerta, hypotheſi. Affirmant ſcilicet, hoc qui volunt, prophetas viſiones ſuas, poſtquam cum populo illas communicaſſent, ſcripto conſignatas tradidiſſe ſacerdotibus et Leuitis

tis vel Senatui magno obſeruandas. At nullo ex ſcripturae ſacrae loco probari hoc aſſertum poteſt. Imo, ſacerdotes potius aduerſarios plerumque prophetarum exſtitiſſe, nouimus. Ipſa demum tituli huius, qui capiti primo legitur praefixus, conuenientia cum iſto, qui ſecundo capite exſtat, ſatis ſuperque probat, eundem eſſe vtriusque auctorem, niſi hunc quoque capitis ſecundi titulum ab aliis praefixum eſſe dicere velimus; qualis affirmandi talia licentia audaciſſima foret, imo impia, cum circa varias alias hypotheſes valere tale quid eodem ferme iure poſſet. Conf. ſumme venerandi IOANNIS GOTTLOB CARPZOVII *introductio ad libros canonicos vet. teſt. part. III. pag.* 100.

LXXXIV.

2. PETR. I. 14.

Ad vaticinium ſanctiſſimi Seruatoris, Ioann. XXI. 18. obuium, quaſi ad iſtud alludat hic diuus Petrus apoſtolus, non inepte reſpicere THOMAM SMITHVM in *commentario in hanc epiſtolam*, (qui in ipſius *miſcellaneis*, Londini anno MDCXC. editis, legitur) *pag.* 208. monuit beatus IOANNES CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *curis philologicis et criticis, vol. IV. p.* 189.

In

In alia abire video beatum deceſſorem meum IACOBVM FRIDERICVM REIMMANNVM, qui concionem in funere Iuriſconſulti Hildeſienſis PETRI ERNESTI DORRIEN ſuper verba haec Petri anno MDCCXXXVI. habuit, ſub titulo: *Petri Schwanengeſang* eodem anno in folio, quod aiunt, typis exſcriptam. Dum enim *p.* 31. *ſeqq.* in eo eſt, vt, vnde Petrus id, quod de morte ſua mox inſtante commemorat reſciuerit, indicet, triplici vice de morte Petri praedixiſſe ipſi Seruatorem docet, *primum* Ioann. XIII. 36. *deinde* Ioann. XXI. 19. quem vero locum huc non pertinere cenſet. Ita namque *pag.* 35. *ſeq.* pergit: *Vnd das meinen einige, ſey die Oeffnung, von welcher Petrus rede, wenn er ſaget: Ich weiß, daß ich meine Hütten bald ablegen muß, wie mir denn auch unſer Herr Ieſus Chriſtus eröffnet hat. Allein da eröffnet er dem Petro nicht mehr, als daß ſeine Hütte auf eine gewaltſame Weiſe würde zerbrochen werden, nicht aber, daß ſie bald würde zerbrochen werden.* Hinc alia, nimirum *tertia*, vice de morte Petri ipſi hoc, quod mox paſſurus illam ſit, Seruatorem reuelaſſe vult his verbis: *Vnd ſo muß das zu einer andern Zeit geſchehen ſeyn, daß ihm der liebſte Heyland dieſes offenbahret hat, nicht aber zu der Zeit, da er an dem gedachten Ort mit ihm geſprochen*

chen hat; nemlich kurz vorher, ehe er dieſe ſeine andere Epiſtel geſchrieben, welches etwa in dem 69. Iahr nach der Geburth Chriſti, und alſo 36. Iahr nach der Vnterredung mit Chriſto an dem Meer Tiberias und der daſelbſt geſchehenen Weiſſagung Chriſti von ſeinem Tode geſchehen iſt. Denn da lag er zu Rom unter der Regierung des Kayſers Neronis im Gefängniß. Vnd da that ihm ſein Heyland entweder ſelbſt, oder durch einen Engel, die Oeffnung, er ſolte ſeine Hütten bald ablegen, und ſeines Kerkers bald quit werden, und aus denen Ketten und Banden in die ewige Freyheit verſetzet werden.

Videtur ſane rem non male diiudicaſſe REIMMANNVS, quamvis enim coniecturae ſolum locum det, extraordinariam eiusmodi reuelationem ſtatuens, ſimilem tamen aliis ſanctis Dei viris obtigiſſe ſingulari Dei beneficio nouimus, e. g. Aaroni, Num. XX 26. Moſi, Deutr. XXXII. 50. XXXIV. 4. Eliae, 2. Reg. II. 3. Simeoni Luc. II. 26. et Paulo. 2. Timoth. IV. 6. Ex quo, circa inſtans mortis tempus Petro pariter talia reuelaſſe Dominum, non inepte concludi poſſe, verba eius, quae praeſenti commate leguntur, eo magis videntur comprobare.

LXXXV.

LXXXV.

HOSE. VI. 2.

Commemoratur hic fundamentum omnium bonorum ſpiritualium, quae a Chriſto in vera fide exſpectabant illius temporis fideles, ipſius ſcilicet paſſionem (illa namque reſurrectionem anteceſſit) et reſurrectionem. De hac vero Seruatoris reſurrectione literaliter hic agi, patet α) ex diſerta temporis denominatione atque repetitione: *poſt biduum, die tertio*, neutiquam quae negligenda eſt, cum alius occurrat nullus in vniuerſa ſcriptura ſacra dies tertius, quo viuificauerit nos Chriſtus, quam dies reſurrectionis eius; β) ex eo, quod 1. Corinth. XV. 4. reſurrexiſſe die tertio ſecundum ſcripturam Chriſtus dicitur, nec praeter hunc noſtrum locum in ſacris veteris foederis tabulis occurrat aliquis, quo expreſſe dies tertius reſurrectioni Seruatoris aſſignetur. Recte inde circa haec Hoſeae verba illuſtranda dictum iſtud Paulinum allegat THEOPHILVS AMELIVS, (ſiue, quale verum eius nomen, PETRVS ZORNIVS) in *der Erörterung der dunckelſten und ſchwerſten Schriftſtellen im alten Teſtament, part. II. pag.* 538.

Ride-

Ridemus merito ſomnia Iudaeorum, ſenſum alium pro more ſuo loco huic tribuentium, ex quibus ABEN ESRA inprimis pro linguae hebreae idiotiſmo habet dictionem prophetae, quaſi id, quod de biduo et tertio die dicatur, caſtigationis breuitatem ſaltem indicet. Qua in re miror huic Iudaeorum explicationi acceſſiſſe beatum POLYCARPVM LYSERVM in *commentario in minores prophetas, pag.* 110. et IOANNEM HENNINGES in *diſſertationibus exegeticis in ſelecta ſcripturae oracula, part. I. p.* 221. *ſeqq.* Videantur, quae ad aſſertum illud vanum refutandum praeter alios bene monuit DANIEL GODOFREDVS WERNERVS in meditatione *de Chriſto e mortuis tertio die reſuſcitato,* quae in ipſius *meditationibus ſacris pag.* 65. *ſeqq.* legitur, *pagina* inprimis 76. *ſeqq.* Ex patribus primitiuae eccleſiae HIERONYMVM, AVGVSTINVM, LACTANTIVM, CYPRIANVM, ORIGENEM, TERTVLLIANVM, CYRILLVM Alexandrinum, THEODORETVM et THEOPHYLACTVM, Iudaeis contradicentes allegat ZORNIVS *loco citato.* Caluinianos, parum a Iudaeis circa huius loci interpretationem abeuntes, refutauit beatus IOANNES TARNOVIVS in *commentario in Hoſeam pagin.* 182. *ſeqq.*

Con-

Consentit, quod ad caput rei attinet, cum recte sentientibus pro more suo cordatus quondam academiae Argentinensis theologus SEBASTIANVS SCHMIDIVS, in *commentario in Hoseam, pag.* 262. literaliter nimirum intelligendum esse diem resurrectionis Christi. Sed priora verba יחיינו ad piorum viuificationem refert, ita tamen, vt Christi viuificationem, tanquam meritorium nostrae fundamentum, includant, hunc in modum: *viuificabit nos* (scilicet e morte nostra) *post biduum,* (scilicet *suum* seu mortis suae,) *eriget nos* e morte nostra *die tertio* suo siue mortis suae, quo meritum nostrae viuificationis et erectionis resurrectione sua compleuit. Ideo vero ita exponit haec verba SCHMIDIVS, quia alias, si Christi intelligenda hic esset viuificatio, idem quoque dicendus esset, quod sanatus et obligatus sit.

Verum enimuero magis mihi videtur vero esse simile, per voces יחיינו et יקצנו, licet suffixum ad pios et poenitentes referendum sit, adeoque omnino errent, qui de se ipso loqui hic Christum volunt, docente TARNOVIO *loco citato,* ipsam tamen Christi viuificationem esse tantum intelligendam. Immediate namque verba haec cohaerent cum die resurrectionis Seruatoris expresso, et suppleri particula *suus* non nisi

coacte videtur. Describitur autem viuificatio Seruatoris tanquam nostra, quoniam ipse, tanquam caput nostrum, adeoque nostrum in commodum, se viuificauit et e mortuis erexit, Ioann. XIV. 19. ipsius praeterea vita atque resurrectio est et recte dicitur nostra, *tum* quia illius resurrectio fundamentum nostrae resurrectionis spiritualis aeque ac corporalis est, *tum* quia vera Christi fide resurrectionem nobis applicamus nobisque eam propriam reddimus, ita, vt coram Deo, ac si cum Christo resurrexissemus, habeamur.

Inde tamen nondum sequitur, quod praecedentia etiam praedicata, commate primo obuia, ad Christum applicanda sint. Neutiquam enim ibi talis circumstantia: qualis nostro in commate, additur. Et licet cum LVTHERO diuo dictum hoc de resurrectione Seruatoris simpliciter agere censeam, nullo tamen modo excludo fidelium circa illam participationem, quippe quae per suffixum adiectum ו vtique indicatur. Quo suffixo docere propheta voluit, fructum resurrectionis Christi ad poenitentes et fideles pertinere, vnde nos sanationem gratiamque diuinam sperare certissime queamus. Ephes. II. 6.

Cete-

Ceterum ſi SCHMIDII ſententia magis alicui placet, tunc comma noſtram ſecundum continuationem ſeu potius explicationem illorum beneficiorum, quae commate primo indigitata erant, continebit.

LXXXVI.

MATTH. X. 14. MARC. VI. 11. LVC. X. 11.

Quam praecipit hic diſcipulis Seruator, pulueris excuſſionem pro ſigno ignominiae et declarandae irae diuinae habet HERMANNVS VON DER HARDT in *exegeſi difficiliorum locorum quatuor euangeliſtarum* manuſcripta *ad h. l.* ita ſcribens: *Impoenitentes et praefractos, qui diſcipulos in itinere et munere euangelico occupatos recipere vel audire nollent, non dimittere iubet* (Saluator) *ſine declaratione poenae Deo dandae. Ex domo et vrbe egrediantur et veſtimentorum puluerem excutiant. Quod et ab apoſtolis factum eſſe, patet ex Actor. XIII. 52. XVIII. 6. Petitum autem hoc ſymbolum declarandae irae et poenae videtur ex ritu apud Iudaeos vſitato in denegato matrimonio, officio et vinculo inter fratrem et fratris defuncti vxorem. Cum enim frater fratriam ducere nollet, iniunxerat Moſes denegati officii*

et amoris iniuriam ignominioſo ritu vindicare. Debebat enim femina exuere calceum viro malo et ingrato, amoris experti, et coram calceo in terram exſpuere, additis minis: Sic tractetur et aeſtimetur is, qui fratri defuncto officium et amorem in relicta vidua denegat. Quae magna viri ignominia cum minis vindictae diuinae coniuncta. Ad exemplum huius ritus iuſſiſſe videtur Chriſtus excutere veſtes et calceos in ignominiam vrbis et domus, quae fidem et amorem ipſis denegaſſet, additis minis et vindictae diuinae ſignificatione: Sanguis veſter ſuper vos, quod eſt: Digna vos manebit poena.

Eandem etiam ſententiam eſſe video IOANNIS CHRISTIANI LOERSII, cuius ſingularis nec indocta exſtat hac de re obſeruatio in *Miſcellaneis Groninganis, tom. I. faſcic. III. pag.* 358. *ſeqq.* Tria vero commemorat, et α) pulueris abſterſione publica Iudaeorum ſtatum et conditionem indicatum fuiſſe putat, vt impuri illi hoc ipſo ita declarati fuerint, a quibus propter ſummum, quem contraxerant, reatum, propter foediſſimas, quibus ſe contaminauerant, ſordes, omnibus ſanctis ſine mora recedendum ab illis eſſet, ne peccatorum et plagarum illorum participes redderentur; β) vehementiorem pulueris excuſſionem ipſam Dei iram et grauiſſimas, quibus rebel-

belles vlciſci decreuerat, poenas ſignificaſſe autumat; γ) animum apoſtolorum pulueris excuſſione, praeſertim quae veſtimentorum quaſſatione fiebat, denudatum fuiſſe coniicit. Circa prius momentum ſimilia monet venerandus academiae Tubingenſis theologus CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS, qui in *notis* ſuis *exegeticis in euangelium Matthaei, pag.* 115. ſcribit: *Ita ſcilicet credebant veteres Iudaei, puluerem terrae ethnicae vel ſepulchri ex contactu inquinare, vnde neceſſum illis erat, puluerem hunc pedibus excutere. Idem mandat hic diſcipulis Chriſtus, vt ex eo cognoſcatur, illos vrbem iſtam, vtcunque Iſraeliticam, quae euangelium reſpuerit, pro ethnica, profana, impura reputare atque abominari.* Conf. et EDVARDI LEIGHII *annotationes philologicae et theologicae in vniuerſum nouum teſtamentum, pag.* 55. editionis Lipſienſis latinae, vbi ſimul CHRYSOSTOMI, HIERONYMI, THEOPHYLACTI et AVGVSTINI ex mente Seruator hoc diſcipulis mandaſſe dicitur, quo teſtatum illi facerent, nihil negotii ſibi eſſe cum iſtis, ita, vt ne quidem portent puluerem eorum, qui contemnerent euangelium. Hanc AVGVSTINI ceterorumque, quos commemoraui, explicationem magis ſeſe probare mihi fateor, quam quae eiusdem AVGVSTINI *quaeſt. VII. in Matthaeum* deprehenditur, vbi ſignificari cenſet iſto

ritu innocentiam apoſtolorum, ne puluiſculum quidem ab impiis auferentium.

LXXXVII.

Iesa. IX. 6. 7.

Verba haec de Salomone rege Iudaeos exponere, ait AMBROSIVS, ipſis hunc in modum *lib. III. comment. in Luc. III. tom. V. operum, pag.* 36. *ſequ.* reſpondens: *Ex hoc iuxta Aquilae quoque interpretationem, non quaſi de homine, ſed de eo, qui vltra hominem eſſet, vidimus extitiſſe promiſſum. Idem enim interpretatus eſt: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, et facta eſt menſura in humero eius, et vocabitur nomen eius: admirabilis conſiliarius, Deus fortis potens, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Eius impleta eſt diſciplina, et pacis eius non eſt finis ſupra ſedem Dauid et ſupra regnum eius. Omnia conuenire de Chriſto, euidentibus ſignatur oraculis, nec poſſe diuinae fructum potentiae ad Salomonis generationem deriuari, qui Dauid filius fuit, cuius finis haud dubie cognoſcitur. Finis enim fuit regni Salomonis et pacis, vt regnorum lectionibus demonſtratur. Vnus eſt Chriſtus, cuius regnum non habet finem. Deinde non multis Salomo gentibus imperauit, Chriſtus vero eccleſiam de nationibus congregauit vniuerſis.*

Po-

Poſtremo viuente Dauid et natus Salomon eſt, et regnum eſt conſeruatum. Hic autem qui promittitur, poſt mortem Dauid ſurrecturus eſſe monſtratur.

At vero ex illorum quidem Rabbinorum commentariis, ad nos qui peruenerunt, neutiquam, de Salomone vllum eorum hoc Ieſaiae dictum explicare, patet; quin potius de Hiskia rege eiusdemque contra Aſſyrios obtenta victoria DAVID KIMCHI, SALOMON IARCHI, ABARBANEL et Iudaei plerique, exceptis quibusdam veteribus, acceperunt illud. Vid. praeter varios alios, qui omnium fere commentatorum inſtar eſt, CAMPEGIVS VITRINGA *tomo I. commentarii in Ieſaiam, pag.* 245. *ſeqq.* argumenta Iudaeorum et adducens et ſolide refutans. Solam ego iam commemorabo IONATHANIS auctoritatem, in *Targum* ſuo * diſertis verbis de Meſſia locum huncce exponentis: *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, et ſuſcipiet legem ſuper ſe, vt cuſtodiat illam, et vocabitur nomen eius a praeſentia mirificantis conſilium, Deo fortiſſimo, qui manet in ſecula, Meſchiah, cuius pax multiplicabitur ſuper nos in diebus eius.* Neceſſario vero hanc

* Siue illo, ipſi qui tribuitur. Vid. IO. CHRISTOPHORI WOLFII *bibliotheca hebraea, volum. II. pag. 1159. ſeqq.*

paraphrasin admittere Iudaei debent, tanti quoniam eandem faciunt, vt pro infallibili istam habeant et a Deo ipso reuelatam esse fabulentur: Sic enim in Talmudico tractatu *Megillah cap. I. pag.* 3. *col.* 1. legitur: *Targum legis Onkelos proselytus composuit. Targum prophetarum Ionathan, Vzielis filius, fecit. Et commota fuit terra Israelis ad quadraginta vsque milliaria. Tunc egressa est vox coelestis, et dixit: Quis est ille, qui reuelauit secreta mea filiis hominum? Continuo Ionathan, Vzielis filius, in pedes exsurgens, prosecutus est: Ego sum ille, qui reuelaui secreta tua hominibus. Manifestum notumque est coram te, quod non honoris mei studio id fecerim, neque propter honorem patrum meorum; sed propter tuum honorem feci illud, ne in posterum dissentirent amplius Israelitae.* Vid. IOANNES DRVSIVS in *quaestis per epistolas, epist. LXXVIII.* et IOANNES BVXTORFIVS *de abbreuiaturis hebraicis, pagin.* 104. *seqq.*

De Socinianis, quin tria verba addam, impetrare a me nequeo, qui quam nefando ausu diuinitatem sanctissimi nostri Seruatoris impugnent, neminem fugit. Dictum hoc Iesaiae inde eos pariter, ac alia multa scripturae sacrae effata, detorquere, facili coniectura assequi licet; quae tamen eorum ignea tela, vt alios iam non nominem, solide

lide nuper confregit reuerendus GEORGIVS LVDOVICVS OEDERVS in doctis ſuis animaduerſionibus *catecheſi* eorum *Racouienſi*, denuo Francofurti et Lipſiae anno MDCCXXXIX. in forma octopartita editae, ſubiectis, *pag.* 328. *ſeqq.* Notandum hinc eo magis, quod in Polonica bibliorum verſione, quae Zaſſauiae Lithuanorum anno aeris chriſtianae MDLXXII. prodiit, vocetur diſertis verbis *Ocice Wiecznoſci*, id eſt, *pater aeternitatis* ſeruator, prouti obſeruat NICOLAVS CICHOVIVS, Polonus, ſocietati Ieſu adſcriptus, in *lib. Credo Arianorum, cap. IV.*

LXXXVIII.

IOANN. XVII. 9.

Quam parum lucri ex hoc loco redundet in caluinianos, ſatis docuerunt eccleſiae noſtrae doctores, ex quibus duos nominaſſe ſufficiat, IOANNEM CONRADVM DANHAVERVM in *hodomoria ſpiritus Caluiniani, part. II. phantaſm. VIII.* §. *LVIII. pag.* 1646. *ſequ.* et IOANNEM MELCHIOREM LORENTZIVM in diſſertatione theologica *de interceſſione Chriſti pro mundo*, Argentoratenſi in academia MDCCXXXIII. publice ventilatam. Parum fide etiam megalandro noſtro LVTHERO interpretatio-

nem horum Christi verborum Caluinizantem affinxisse IOANNEM MAVRITIVM MOMMERS, pro more suo, id est, solide demonstrauit venerandus ecclesiae Hamburgensis theologus: IOANNES LVDOVICVS SCHLOSSER, in *Luthero* suo *Lutherano, Luthero reformato Io. Mauritii Mommers opposito, cap. XII. §. X. pag. 535. seqq.*

Quaeritur interim: quanam ratione orasse hic dicendus sit Seruator, num tanquam sacerdos, an vero vt propheta? Et recte respondetur, tanquam sacerdotem hic orare Christum; cum ad officium ipsius sacerdotale vtique pertineat eiusdem intercessio. Verum cum obiici hic possit: quod intercessio Christi, vti et satisfactio, si pro parte officii sacerdotalis habenda esset, vniuersalis sit, adeoque ad ipsum mundum se extendat, vt omnes conuertantur impii, comm. 20. haec vero intercessio commatis noni particularis sit, adeoque ad sacerdotale Seruatoris munus referri nequeat; obseruari probe meretur, α) generalem Christi intercessionem, quae ad vniuersum mundum adeoque impios etiam se extendit, non excludere specialem, de qua commate nostro nono agitur, β) distinguendum esse inter *orare Christi tunc*, eo tempore et in illa speciali intercessione, qua Christus non pro mundo, sed pro apostolis inprimis in fide con-

ser-

ſeruandis orabat, et inter *orare Chriſti ſimpliciter nunc* et alio tempore. Quia enim obiecti illius petiti, vel bonorum ſpecialiorum, commate vndecimo ſequentibusque deſignatorum, quae ſolis actu credentibus competunt, incredulus iſte mundus, qua talis eſt et manet, capax non eſt, merito ideo illa bona in ſpeciali hac ſua oratione mundo non precatus Chriſtus eſt. Sane ſatis ſic diiudicaſſe quaeſtionem hanc nomine Facultatis theologiae Roſtochienſis, cum Decanus eius eſſet, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo ſexto haud incelebrem iſtius academia theologum ANDREAM DANIELEM HABICHHORSTIVM memini.

LXXXIX.

IOEL. II. 23.

Obuia in hoc loco verba hebraea המורה לצדקה, quae *Vulgatus* vertit *doctorem iuſtitiae*, eundemque ſecutus diuus LVTHERVS noſter *Lehrer zur Gerechtigkeit*, non eodem modo ab omnibus accipi conſtat. Septuaginta interpretes reddiderunt *βρωματα εις δικαιοσυνην*, *alimenta ad iuſtitiam*, quam expoſitionem graecis ex patribus THEODORETVS in *commentar. ad h. l.* amplexus eſt, verba prophetae in hunc modum ediſſerens: *Filii Sion gaudete atque laetamini*

tamini in Domino Deo veſtro. Vobis enim vſus neceſſarios ſuppeditabit et praebebit ſuo tempore imbrem matutinum et ſerotinum, ſicut antea fruebamini. Tanta autem erit fructuum redundantia, vt areae anguſtiores futurae ſint ad fruges recipiendas, et torcularia vino et oleo diffluant. Diuerſis circa locum hunc explicandum ſententiis anſam dedit vocis מורה, et *doctoris*, Ieſa. IX. 15. Iobi XXXVI. 22. et *pluuiae* Pſ. LXXXIV. 7. notionem obtinentis, ambigua ſignificatio. HIERONYMVS in *commentario* ſuo vtramque interpretationem affert, ita, vt neutram reiiciat, ſed vtramque retineat, et ſecundum literam *alimenta ad iuſtitiam*, ſecundum intelligentiam ſpiritualem *doctorem iuſtitiae* intelligat. *Vos quoque*, ſcribens, *quos iuſte poſt poenitentiam voco filios Sion et eccleſiae, laetamini atque gaudete, quia dedit vobis Deus pater doctorem iuſtitiae, ſiue tribuit vobis alimenta iuſtitiae, et deſcendere fecit ad vos pluuias temporaneas atque ſerotinas. Pluuia tempeſtiua eſt, quando primum doctrinam ſuſcipimus, pluuia ſerotina, quando laboris noſtri fructum recipimus et ad perfectam ſanctarum ſcripturarum ſcientiam peruenimus.* Plerique vero interpretum ſiue hanc, ſiue illam explicationem calculo ſuo approbarunt, recenſiti a MATTHAEO POLO in *ſynopſi criticorum*, *vol. III. pag.* 1718. et nouiſſime accuratius a reuerendo IACO-

BO

BO BRVCKERO in ſingulari ad locum hunc Ioelis *diſſertatione epiſtolari*, in *Tempe Heluetica, tom. II. ſect. III pag.* 423. *ſeqq.* obuia, illorum vbi partibus accedit, qui *doctorem iuſtitiae* vertunt verba haecce, iſtamque explicationem docte confirmauit.

Interim, qui huic interpretationi ſauent, in eo non conſentiunt, quis per doctorem illum iuſtitiae intelligendus ſit; nonnullis eorum prophetas et doctores indigitari putantibus, quos poſt calamitoſa captiuitatis Babylonicae tempora Iſraeliticae eccleſiae conceſſit ſupremum Numen. Ita namque NICOLAVS DE LYRA *ad h. l. quia dedit vobis doctorem iuſtitiae, id eſt, doctores, accipiendo ſingularem pro plurali, et, vt dicit Ra. Sa. per hoc intelliguntur prophetae illius temporis, populum reuocantes ad bonum.* Neutiquam vero ſe probabunt haecce cogitata iis, qui accuratius prophetae verba conſiderant. Ad noui enim foederis tempora eum reſpicere, apertum nimis eſt. Quare rectius IOANNES PAPPVS *ad h. l. Deſcribit* (propheta) *ipſum noui teſtamenti pontificem et fundatorem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, illumque illuſtri appellatione nominat doctorem iuſtitiae, et comparat cum pluuia matutina et ſerotina.* Principali enim et eminentiſſimo ſenſu conuenit nomen hoc *doctoris iuſtitiae* ſeruatori noſtro, qui,

qui, licet inferiores alios doctores iuſtitiae eccleſiae ſuae conſtituerit, ipſe tamen κατ' ἐξοχην hoc nomine vtitur, ſaepiusque alias in ſanctioribus veteris pariter ac noui foederis tabulis eodem venit. Conf. Ierem. XXXIII. 16. 1. Cor. I. 30.

Ego, ſi fatendum, quod res eſt, non inconcinne vtramque ſignificationem coniunxiſſe HIERONYMVM *loco* ſupra *allegato* iudico, ſicque ſequentia textus prophetici verba optime inter ſe cohaerere autumo, hunc in modum: *Filii Sionis exultate et laetamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiae* et per eundem *pluuiam iuſtitiae, pluuiam* non tantum temporalis benedictionis, quando *deſcendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum et ſerotinum* etc. vsque ad comm. 27. ſed dabit vobis quoque per eundem illum doctorem iuſtitiae *pluuiam* ſpiritualis benedictionis, illam nempe, quae deinde Cap. III. 1. vlterius deſcribitur. Conf. BRVCKERVS *loc. cit. pag.* 427. et BERNHARDVS WAGNERVS in programmate ſingulari, Argentorati anno MDCCXI. euulgato.

XC.

XC.

NVMER. XXXVI. 8.

Legem hanc diuinam, qua vni de familia paternae ſtirpis nubere iubebatur virgo Iudaica, imitati ferme gentiles ſunt, quos inter Athenienſes, DIODORO Siculo in BIBLIOTHECA HISTORICA *lib. XII. p.* 298. teſte, ſimile quid ſuas iuſſerunt virgines nupturas. Scribit enim ibi ſcriptor allegatus: *Tertia etiam lex reformata eſt* περι των επικληρων *a Solone lata. Iubebat enim, vt genere proximus puellam* επικληρον *iure in matrimonium flagitaret, et viciſſim virgo* επικληρος *agnati nuptias poſceret.* Quae vero apud illos *επικληρος* dicta fuerit, IVLIVS POLLVX docet in *onomaſtico, lib. III. cap. III. §. III.* cuius verba ex verſione SEBERI latina ita fluunt: *Filia vnica ad vniuerſam haereditatem educata* vocatur *επικληρος, ſiue ſuperſtes ſit pater, ſiue mortuus.* Ex quo POLLVCIS loco etiam conſtat, ab ISAEO et SOLONE eiusmodi filiam appellari περικληρειτιν, et a Spartanis πατρουχον, quemadmodum apud HERODOTVM *lib. VI. hiſtoriarum, pag.* 601. legitur ex verſione latina: *De virgine* πατρουχω *iudicare ſolorum regum eſt, cui elocanda ſit, niſi pater iam illam deſponderit.* De lege hacce επικληρων loqui-

loquitur etiam TERENTIVS in *Phormione*, *act. I. ſcen. II. verſ.* 25.

Lex eſt, vt orbae, qui ſint genere proximi,
Iis nubant, et illos ducere eadem haec lex iubet;

ſimiliter in *Adelph. act. IV. ſcen. V. verſ.* 17.

Hic meus amicus illi genere eſt proximus,
Huic leges cogunt nubere hanc.

Vt iam non adducam, quae DEMOSTHENES et ARISTOPHANES plus vna vice de iſta lege ſcribunt. Quando autem ABARBANEL ex pandectis Talmudicis *Maſſechet* תענית *cap. IV. pag.* 141. aſſerit, legem hanc, de ζεπικληρους a Deo Iudaeis datam, non alio tempore, quam illo, quo lata fuit, obtinuiſſe, nec in perpetuam obſeruantiam, ſed ad tempus duntaxat, antequam terram poſſiderent, promulgatam eſſe, ipſe id haud incelebris eorum doctor DAVID KIMCHI in *commentario ad h. l.* ex Iudic. XI. 1. refutat. Conf. etiam Tob. VII. 14.

XCI.

XCI.

MATTH. XIII. 52.

Quid per *noua* ac *vetera*, quae commemoratus hic legisperitus ex theſauro ſuo proferre a Seruatore dicitur, intelligendum ſit, haud aeque clarum eſſe videtur, cum variae de eo ſint interpretum ſententiae recenſitae in beati IOANNIS CHRISTOPHORI WOLFII *curis philologicis et criticis*, *vol. I. pag.* 233. *ſeqq.* Qui vetus et nouum teſtamentum, ſiue eius doctrinam, intelligunt, vti velle plerosque WOLFIVS monet, et nouiſſime demonſtrare conatus eſt reuerendus academiae Göttingenſis theologus MAGNVS CRVSIVS in diſſertatione *de ſcriba edocto ad regnum coelorum*, Göttingae anno MDCCXXXV. habita, *pag.* 26. rem forte acu minus tetigerunt; licet ferire eos non credam, quod contra iſtam explicationem IACOBVS ALTINGIVS vrget in *oratione ad hoc comma*, *tom. V. operum*, *pag.* 305. *a.* Quando enim ibi vero haud ſimilem eam ideo iudicauit, quoniam nihil tunc temporis, cum loqueretur verba haec Seruator, ſcriptum noui foederis fuerit, non valet ſane ipſius argumentatio, cum Seruatoris vtique conciones, ab euangeliſtis dein literis conſignatae, noui foederis doctrinam iam continuerint

populoque, quo coram habebantur, exhibuerint. Magis eidem, ſi quid iudico, repugnat, quod *nouo* a Seruatore hic poſtponatur *vetus;* quód, ſi vetus teſtamentum intelligendum eo eſſet, primo loco, tanquam prius, nominari debuiſſet. Doctiſſimi ELSNERI expoſitionem recte etiam reiecit deſideratiſſimus WOLFIVS *citato loco.* Nec magis arridet beati GODOFREDI OLEARII ſententia, qui ex collatione huius loci cum Rom. VII. 6. per vetera indicari putat literam et corticem legis, per noua vero ſenſum eius intrinſecum et ſpiritualem. In allegato namque diui Pauli loco litera et ſenſus legis ſibi inuicem non opponuntur, ſed vis coarctiua legis et virtus euangelii ſpiritualis. Plane ergo huc non quadrat iſtud, inprimis cum de lege morali Paulus etiam agat, OLEARIVS autem rituales leges reſpici exiſtimet. Praeterea, illa ſi fuiſſet ſanctiſſimi Seruatoris mens, vetera pariter praepoſuiſſet nouis, quod ſecus ab eo factum eſſe videmus.

Propius ergo Seruatoris ſenſum attigiſſe videtur beatus CHRISTIANVS STOCKIVS in *obſeruationibus philologicis, criticis et exegeticis,* nouo teſtamento a ſe edito ſubiectis, *pag.* 154. breuibus ita illum explicans: *Per vetera et noua deſignatur lex et euangelium, quae pro conditione et ſtatu audito-*

ditorum proponenda ſunt. Cum enim ſcriba, a Seruatore in medium productus, quemlibet deſignet verbi diuini in eccleſia noui teſtamenti miniſtrum, huius in eo munus conſiſtere nouimus, vt ad exemplum ipſius Seruatoris legem atque euangelium rite proponat auditoribus, quo lege de peccatis miſeroque ſuo ſtatu conuincantur atque terreantur impii, euangelii vero ſolatio erigantur pii ac credentes. 2. Tim. II. 24. Matth. XII. 19. 20.

Quaeritur autem circa hanc pariter interpretationem: Cur legi praeponatur euangelium? cum ſecundum ſalutis oeconomiam, a Deo conſtitutam, lex antecedere et officio ſuo defungi prius debeat, quam euangelium, addendum deinde, cordibus praeparatis quaſi et ad anhelandam Seruatoris gratiam commotis. Conf. Matth. V. 3. 4. 5. 6. At huic quod obiectioni reſpondeam, in promtu eſt. Licet nimirum vetus, quod abominandum non eſt, (tale enim intelligendum eſſe, ex eo patet, quod ad theſaurum a ſcriba proferendum, pariter pertineat ac referatur) alias prae nouo videatur praerogatiua gaudere, ratio ſubeſſe debet, ob quam ordo inuertatur a Seruatore; inprimis cum alibi eundem ferme in modum ſcriptura loquatur, e. gr. Cantic. VII. 13. vbi ſponſum ita alloqui ſponſa

introducitur: *Dudaim dederunt odorem, et iuxta oſtia noſtra ſunt omnia aromata,* noua *et* vetera; (at) *amorem meum repoſui tibi*; ſiue, vti LVTHERVS diuus vertit: *Die Lilien geben den Ruch, vnd vor vnſerer Thür ſind allerley edle Früchte. Mein Freund, ich habe dir beyde* heurige *vnd* fernige * *behalten.* Perſuaſum inde habeo, ad ſubiecta ſiue perſonas, quibuscum eſt agendum verbi diuini miniſtro, reſpexiſſe ſeruatorem. Hae vero ſunt *vel* tirones ſeu infantes in cognitione rerum chriſtianarum, *vel* adultiores, maiores qui in eadem profectus fecerunt; vtraeque docendae ita, prouti ſtatus captusque earum requirit. Iam nouos fructus, inprimis vina noua, leuia magis eſſe, ideoque infirmioribus conuenire magis, conſtat; cum vetuſtiora maiorum virium ſint, hincque eo fortius corroborent, adultoribus ideo prae illis commendanda. Per *noua* ergo, de quibus loquitur Seruator, eas doctrinas ſine dubio intelligit, quae tironibus in Chriſto proponenda ſunt, elementa nempe et primaria fidei capita. Conf. 1. Corinth. III. 2. et quae ad hunc locum ſupra pluribus commentatus fui. *Vetera* contra eas doctrinas ſignificare videntur, quae adultoribus eorumque captui reſpondent, eius-

* Id eſt, *von vorigen Jahren*, vti nota addita declarat beatus GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS.

eiusdem quidem cum prioribus generis, at reſpectu ad proponendi rationem habito ab iis diuerſas, quibus ad perfectiorem rerum diuinarum cognitionem perducendi tales ſunt, et contra dubia diſſentientium firmandi. Eiusmodi doctrinarum ab eccleſiae miniſtro proponendarum differentiam Paulus praeter locum iam citatum etiam Hebr. V. 12. 13. 14. commemorat. Conf. Ezech. XXXIV. 26. Indeque apparet, cur *noua* praepoſuerit *veteribus* Seruator; ideo nimirum, quoniam infirmiorum maior numerus eſt, et capita ſiue elementa doctrinae chriſtianae ſaepius proponi repetique, imo primo loco vrgeri debent. De quibus rebus cum ad diſcipulos, eccleſiam plantaturos, verba Seruator faceret, mirum non eſt, eum primo loco commemoraſſe, quae primo circa erudiendos homines erant ab ipſis curanda, ipſius Chriſti ad exemplum. Conf. Ioann. XVI. 4.

XCII.

MATTH. XIII. 55.

Dum circa antecedentem locum, quae monuit in *curis* ſuis beatus WOLFIVS, relego, ea ſimul in oculos incurrunt, quae de vitae genere Ioſephi determinando ex variorum ſententia ibidem ille retulit *pa-*

gin. 234. *ſequ.* Vbi non poſſum non beneuolo Lectori exhibere cogitata doctiſſimi Helmſtadienſis academiae philologi, aliquoties iam allegati, HERMANNI VON DER HARDT, circa hoc Ioſephi vitae genus alia ſentientis, quam quae ex hoc Matthaei euangeliſtae loco hactenus concludere ſe poſſe crediderunt ceteri interpretes. Ita namque ille in *explicatione difficiliorum quatuor euangeliſtarum locorum*, manuſcriptam quam poſſideo, *ad h. l. Filius artificis apud antiquos Iudaeos eſt inſtructus a viro prudente in rebus dubiis, quas poſſit ſoluere. Nos Politicum vel Conſiliarium aut Senatorem diceremus. Vt non tam architectus vel faber lignarius fuerit pater, quam vir rerum ciuilium peritus, Iuriſconſultus noſtro ſtilo. A quo patre non plebeio, ſed rerum ciuilium conſcio, nomen datum Ieſu, phraſi conſueta, quod diceretur filius artificis, non in re manuaria, ſed negotio ciuili ac morali, filius Iuriſconſulti, Iuriſconſultus. Cum igitur Chriſtus diſſereret,* (ita pergit vir doctus applicare hactenus dicta ad narrationem euangeliſtae) *de rebus ſacris tam diffuſe, accurate et eleganter, mirati ciues eius in patria theologicam hanc in eo ſcientiam, qui a patre politico, a Iuriſconſulto eſſet educatus. Vnde non mirantur in eo ſapientiam abſolute, ſed hanc praeciſe, nempe theologicam, vna cum ſtupendis ſpiritus operibus*

et

et gradibus ac miraculoſis factis, quae ab homine ciuilibus rebus dedito exſpectari non poſſent.

Prodit ſe hic iterum ingenium viri alias celeberrimi luxurians et ad defendenda paradoxa ferme natum. Nec enim, quantum memini, in mentem hactenus id cuiquam venit. Nec umquam vocabulum τεκτων tali ſenſu apud ſcriptores graecos vſurpari, vel vnico exemplo docuit vir doctiſſimus. Eadem hoc circa argumentum *loco citato ad Matth. I.* 18. *ſeqq.* amplius demonſtrare molitur hunc in modum: *Ioſephi conditio et fortuna externa non expreſſe refertur. Interim a Iudaeis Nazarethanis Matth. XIII.* 55. *appellatur* ο τεκτων: *dum Chriſtus dicitur* ο του τεκτονος υιος. *Eſt autem vox generalis, quae artificem notat,* (bene! at non talem taliumque rerum politicarum callentem virum, qualem VON DER HARDT vult denotari) *vt ex ea munus et vitae ſtatus diſtincte agnoſci et determinari per ſe non poſſit. Neque ergo fabrum fuiſſe lignarium, etſi ex longa traditione communiter cenſeatur, exinde certo colligi aut probari poteſt. Quin potius, ſi antiquum Iudaeorum ſtilum attendamus, aliam vim vocis deprehendemus.* בן נגר *et* נגר, artifex *et* filius artificis *appellatur a Iudaeis* vir prudens, ciuilium rerum peritus, *qui ex profeſſo ſacris non ſit deditus, ſed rerum ciuili-*

uilium curam habeat; vt idem ſit, ac חכם, ſapiens, vir prudens, ein Weltmann, vir politicus, *bono ſenſu. Sicuti aperte in Talmud lib. Auoda ſacra, cap. IV. fol.* 50. *videre eſt, et* RASCHI *in gloſſa clare ita explicat. Conf.* שבת, *cap. I. fol.* יא. *c.* 2. *Qui in* שצנה *dictus* לבלר, *libellarius, ſcriba, in* גצרא *explicando vocatur* נגר. *Conf.* BARTHENORA *in h. l. et* BVXTORFIVS *in lexico talmudico, rad.* נגר. *Conf. formula, eruditorum titulus,* חכם חרשים, *de Ioſippo, Abarb. Maj. Hajeſch. f.* סח. *c.* 2. *m. Vt ex ſtilo Iudaeorum Ioſeph fuerit vir prudens et politice peritus, qui non omni in populo caruit auctoritate, nec infimae ſortis homo fuit, ſed ſpectatus et honoratus inter Iudaeos, etſi non eſſet ex clero aut ſacerdotio addictus, qui ſacra ex profeſſo tractaſſet. Vnde mirantur Nazarethani Ieſum, qui in ſynagoga habeat conciones ſacras, parente vſus homine politico, ſacris non addicto. Sicuti etiam alibi Marc. VI.* 3. *a Iudaeis ipſe Chriſtus dicitur* τεκτων *eodem ſenſu, quod a parente in ciuilibus rebus gerendis ac gubernandis occupato inſtructus Ieſus et ſimilis factus vſus eſſet ac rerum ciuilium cultor. Vnde haerent dubii, qui fiat, quod is ſacra iam tractet ciuilibus relictis, et illa tam egregie et tanta cum virtute conficere poſſit, vt ex Politico ſit factus Theologus. Eaque conditio Ioſephi optime congruit cum actionibus*

bus eius in ſcriptura ſacra relatis, quae virum prudentem, in negotiis ciuilibus recte inſtituendis ac componendis exercitatum arguunt. Quae concludere ſe de Ioſepho rite poſſe exiſtimat vir doctus, praeter ipſum nemo ſanus hariolabitur. Ex antiquitate namque Iudaica hoc quidem conſtat, iunxiſſe ſaepius literarum ſtudiis artes quoque manuarias Hebraeorum ſapientes priſcos, prouti docemur a PETRO CVNAEO *loco* a WOLFIO *citato* et IOANNE CASPARO SVICERO in *theſauro eccleſiaſtico, tom. II. pag.* 1255. Imo teſtatur in *lexico* ſuo *rabbinico-philologico, pag.* 434. IOANNES HENRICVS OTTO, apud Iudaeos filio hoc debuiſſe patrem, in aliquo vt eum opificio educaret. Conferatur et CHRISTIANI WILHELMI LOESCHERI diſſertatio *de veterum conſuetudine literarum ſtudio iungendi opificia*, in academia Wittebergenſi MDCXCVI. habita. Quo ex more tum quae de Chriſti parente, Ioſepho, legimus, tum quae ex antiquitate Iudaica affert VONDER HARDT, intelligenda ac interpretenda eſſe, recte hactenus iudicarunt eruditi. At vlterius, fundamento coniiciendi talia ſolido gaudens, ſapere, aut pro tali viro politico habere Ioſephum nemo potuit.

XCIII.

GENES. VII. II.

Per *fontes abyſſi magnae* omnes aquarum ſcaturigines intelligunt nonnulli, terris quae ſuperfunduntur, earundemque magnam crebamque adeo factam eſſe volunt disruptionem, vt per modicos haud confractus meatusue, quemadmodum iam ſolet, ſed maximis hiatibus ſciſſurisque ſiue ingentibus chaſmatibus aqua eruperit et exundauerit, nouaque inde flumina et ſtagna ſeu lacus exſtiterint noui, illi item, qui ante fuerint, immenſa ſubinde aquarum vi adaucti vehementer fuerint. Per *cataractas* autem *coeli apertas* nubes indicari cenſent imbriferas atque nimboſas, aquis vehementibus fractas, quibus apertis tanta fuerit profuſa pluuiae vis, vt non iam guttatim, verum e feneſtris patentibus quaſi ruens praecipitari in terras cerneretur. Alii per abyſſum magnum mare indigitari crediderunt; quod tamen inde aliis haud perplacuit, quoniam, ſi loco ſuo motum illud fuiſſet, iſto eius de loco quid factum ſit, determinari minus poſſit, vacuum num manſerit, an vero aliunde fuerit ſuppletum. Vid. auctor *diſſertationis proluſoriae de diluuii vniuerſalitate, pag. 76. ſequ.* et AVGVSTVS PFEIFFERVS in *dubiis vexatis ſcripturae ſacrae recognitis*

gnitis, centur. I. loc. XXV. pag. 69. *ſeqq.* Praeter THOMAE autem BVRNETI locum, quem PFEIFFERVS adduxit, conſuli quoque poteſt eiusdem *reſponſio ad obiectiones Eraſmi Warreni*, theoriae ipſius telluris ſacrae oppoſitas, Londini anno MDCXC. in folio euulgatas, *pag.* 98. Argumenta WARRENI habes ipſius in *genealogia*, eodem anno Londini in quadripartita forma edita, et exinde repetita in *actis eruditorum latinis, anni MDCXCI. pag.* 98. *ſequ. et* 103. *ſequ.* Celeberrimus academiae Gieſſenſis theologus et mathematicus IOANNES GEORGIVS LIEBKNECHT interiorem terrae locum, ſeu ipſum grauitatis centrum, cuius fontes ſinguli rupti moles aquarum ſuppeditauerint, adornando cataclyſmo Noachico ſufficientes, per abyſſum hunc intelligit in *ſpecimine Haſſiae ſubterraneae, clariſſima teſtimonia diluuii vniuerſalis, ibi et in locis vicinioribus occurrentia, ex triplici regno, animali, vegetabili et minerali, petita, exhibente*, quod MDCCXXX. Gieſſae et Francofurti in quadruplicata forma publici iuris fecit, *pag.* 26.

XCIV.

XCIV.

Ioann. I. 14.

Verba μονογενης παρα πατρος ita in *commentario* ſuo eruditionis variae pleno *in euangelium Ioannis, tom. I. pag.* 372. FRIDERICVS ADOLPHVS LAMPIVS explicat: *vnigenitus a patre*, ſcilicet *miſſus*; in quo aſſenſum ipſi praebere videtur magnus ille IOANNES CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *curis philologicis et criticis, vol. I. pag.* 790. Verum, quod pace tantorum virorum dixerim, vix videtur huc quadrare iſta explicatio. De gloria enim filii Dei cum ſermo hic ſit, minueretur illa, ſi ad miſſionem, in qua nimirum gloria ſe ſua ille quaſi euacuauit, reſpicere velimus. Diuus praeter ea Ioannes commate ſequenti decimo octauo relationem explicat inter vnigenitum et Patrem, quae ceſſaret pariter, iſta ſi eligenda eſſet interpretatio. Quin, miſſio ſi hic ſub intelligenda eſſet, magna nimis foret, meo quidem iudicio, ellipſis haec, nullo alio forte exemplo confirmanda. Rectius proinde verba Ioannis *vnigenitus a patre*, verti ita putauerim, vt origo Filii a Patre innuatur, quemadmodum de Spiritus ſancti a Patre proceſſione το παρα adhiberi Ioann. XV. 26. deprehendimus. Accedit, quod Seruator alias etiam ſe a Patre eſſe dicat,

cat, e. gr. Ioann. VI. 46. VII. 29. quod vltimo in loco a miſſione Patris diſtinguitur, adeoque neceſſario ad generationem Filii a Patre referendum eſt. Prior vero locus cum cap. I. 18. prorſus conuenit. Ne dicam, το παρα alibi etiam ad cognationem referri; prouti των παρ' αυτου, *propinquorum eius*, mentionem Marcus euangeliſta cap. III. 21. facit. Conf. beati GEORGII RAPHELII *notae philologicae in nouum teſtamentum ex Xenophonte, ad h. l.*

XCV.

1. SAM. XVII. 17. XXV. 18. 2. SAM. XVII. 28.

In explicando toſto hoc קלי variare interpretes conſtat. Conf. MATTHAEI POLI *ſynopſis criticorum, vol. I. pag.* 1481. Omnibus probe conſideratis, nihil videtur eſſe conuenientius, quam de illis baccis ſiue granis id exponere, ex quibus fit decoctum, *Cahwe* Arabis dictum, vulgo *Coffee*, cuius vſus in oriente procul dubio antiquiſſimus. Ita vertit illud IOANNES HENRICVS MAIVS in *ſupplemento ad Cocceji lexicon hebraicum et chaldaicum, p.* 110. Cum HIERONYMO autem BOCHARTVS et LEIDEKKERVS locis a MAIO allegatis in-

intelligere malunt *frixum cicer*, quod vendere ſolent Cairi mercatores illis, qui per Arabiae deſerta proficiſcuntur, in itinere quo illis viuant. Legi etiam poterit ERNESTI EHRENFRIED GEIERI diſſertatio *de eo: an potus, Coffee dicti, veſtigia in hebraeo ſcripturae ſacrae codice reperiantur?* Wittebergae anno huius ſeculi XL. habita. Multum vero lucis prae ceteris hac in re Lectori beneuolo praebebunt literae MELCHIORIS LEIDEKKERI ac IOBI LVDOLFI, viri vtriusque in orientali literatura verſatiſſimi, hoc de argumento ad ſe inuicem datae, quae ex manuſcripto cum orbe erudito a me communicatae leguntur in *den Hamburgiſchen Berichten von gelehrten Sachen, anni MDCCXLII. pag.* 392. *ſeqq.* ubi ſimul *pag.* 395. monui, illis, qui per קלי *Coffee* intelligunt, addendum etiam eſſe IVLIVM STERRINGAM in *animaduerſionibus philologico-ſacris in pentateuchum*, quae in forma quadruplicata Leowardiae primum anno MDCXCV. et altera vice anno MDCCXXI. lucem publicam adſpexerunt.

XCVI.

XCVI.

GENES. III. 1. 2.

Serpentis huius nomen *Samäel* fuiſſe, camelique retuliſſe ſpeciem, antiqui voluerunt. Vid. IOANNES SELDENVS *de diis Syris, ſyntagm. II. cap. VI. pag.* 307. et ELIAS SCHEDIVS *de diis Germanorum, pag.* 46. *ſeqq. Sic locutus eſt*, verba ſunt AVGVSTINI in *commentario in Geneſin, lib. XI. cap. XXIX. ſerpens homini, ſicut aſina, in qua ſedebat Bileam, locuta eſt homini, niſi quod illud fuit opus diabolicum, non angelicum.* SIMON PATRICIVS, epiſcopus Angliae quondam doctiſſimus, in *commentario* ſuo *in Geneſin*, anglice Londini anno MDCXCV. in forma quadripartita edito, *p.* 60. fuiſſe monet in meredianis et orientalibus orbis regionibus ſerpentum genus alatum ac inſigni ſplendore coruſcans. Nominat Moſes id שרף, prouti conſtat ex Numer. XXII. 6. 8. Iam cum hoc ipſum nomen angelis, Dei coram ipſius throno miniſtris, qui Ieſa. VI. 2. 6. et alibi שרפים dicuntur, tribuatur, ſuſpicatur PATRICIVS cum TENNISONIO, angelos illos ſeraphinos in שכינה, quam Iudaei vocant, id eſt, maieſtatica Dei apparitione, ſub forma, ſerpentibus iſtis Africanis non abſimili, alis coruſcantibus inſtructos, comparuiſſe. Eandem

dem vero illuſtris illius ſerpentis imaginem diabolum, Euam angeli lucis ſpecie decepturum, induiſſe ſtatuit, cuius aſpectu ſeducta mulier fuerit, Seraphinum, quales in apparitionibus diuinis ante vice plus. ſimplici forte conſpexerat, eſſe rata. Idem, quod per animalia cum primis hominibus locuti angeli fuerint, praeter alios etiam vult CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS in *inſtitutionibus theologiae dogmaticae et moralis*, *pag.* 214. Ingenioſae interim huius opinionis veſtigia etiam inter gentiles, quibus diuini ſemper ac magnae venerationi dracones ac ſerpentes fuerint, PATRICIVS quaerit. Vid. quae in eandem ſententiam diſſerit THOMAS PYLE in anglica ſua *librorum veteris teſtamenti paraphraſi*, Londini anno MDCCXVII. in forma octuplicata maiori edita, *ad Gen. III.* 1. Serpente, pedibus qui inſtructus eſſe videatur, tanquam organo, vſum diabolum fuiſſe, putat IACOBVS ODE, profeſſor Traiectinus, in *commentario de angelis*, Traiecti ad Rhenum anno MDCCXXXIX. in forma quadripartita euulgato, *pag.* 541.

XCVII.

XCVII.

HEBR. V. 7.

Varias interpretum circa vocem ευλαβεια opiniones attulit pro more ſuo, id eſt, cum cura beatus IOANNES CHRISTOPHORVS WOLFIVS in *curis philologicis et criticis, vol. III. pag. 652. ſeqq.* illis accedens, qui *metus* ſignificationem iſti hoc loco tribuunt; quorum tamen vt partes ſequar, vix a me impetrare poſſum. Agit ibidem etiam de ſignificatu praepoſitionis απο vir ſummus, quam plerique, vti et diuus noſter LVTHERVS, reddunt *propter*, alii *ex*. Videtur mihi illa hoc in loco commodiſſime reddi poſſe *poſt*, mensque apoſtoli ita explicari, vt dicatur Seruator poſt reuerentiam Deo Patri exhibitam, quae deinde octauo commate deſcribitur, exauditus eſſe. Non vane haec a me coniici, patere inde puto, quoniam eodem ſignificatu gaudens particula απο occurrit etiam Luc. II. 36.

XCVIII.

IOANN. I. 16.

Pro diuerſo particulae αντι vſu et ſignificatione varie explicant ſenſum dicti Ioannei interpretes, quos recenſuit beatus

WOLFIVS in *curis* ſuis *philologicis et criticis*, *vol. I. pag.* 791. *ſequ.* recte de venerando SALOMONE DEYLINGIO iudicans, quod curatiſſime is ſententias interpretum commemorauerit, ſolidumque ſuum interpoſuerit iudicium in *obſeruationibus ſacris*, *part. III. obſ. XXXIII. pag. m.* 309. *ſeqq.* editionis, quam poſſideo, ſecundae. Vtrique et WOLFIVS et DEYLINGIVS το αντι per *pro* conuertunt, ſenſum hunc eſſe iubentes, vt pro gratia veteris teſtamenti legali vel oeconomia typica datam eſſe gratiam euangelicam Ioannes innuat; CHRYSOSTOMVM ſecuti, qui, notante CAMERARIO *ad h. l.* χαριν αντι χαριτος λαμβανειν exponit: αντι της παλαιας την καινην. Vid. DEYLINGIVS §. *XI. pag.* 316. *ſequ.* Nec diffiteor, robur vtique accedere interpretationi huic, vti monent viri doctiſſimi, ex commate ſequenti decimo ſeptimo, vbi comparatur veteris teſtamenti ſtatus cum noui foederis oeconomia, diſertaque fit legis et gratiae mentio. Videtur tamen non incommode ipſa hac cum ſignificatione coniungi illa poſſe, ſecundum quam *comparatiuus* etiam ſenſus tribuitur particulae αντι, vt ſimul indicetur, gratiam euangelicam pro legali nobis in nouo teſtamento datam longe eſſe cumulatiſſimam. Concedit namque reuer. DEYLINGIVS §. *VIII. pag.* 313. non infrequenter occurrere apud poe-

poetas Graecos hanc vocis αντι ſignificationem; ideo vero hoc loco non eam calculo ſuo probat, quoniam in ſoluta oratione rarior ſit, et a noui foederis ſcriptoribus ignoretur. Aſt loci Epheſ. V. 31. ipſe mentionem fecit, et praeter illum duo ex graeca veteris teſtamenti verſione ſeptuaginta virali, nimirum Iobi II. 4. et Amos. III. 15. in medium protulit SALOMON GLASSIVS in *philologia ſacra, lib. III. tract. VI. can. XV. pag. m.* 1065. Quare non male *gratiam accumulatiſſimam et copioſiſſimam* hic pariter praedicari gratiam euangelicam, εκ του πληρωματος του Ιησου hauriendam, puto; ad quod inprimis etiam attendere nos iubet vox πληρωματος, vti bene monet IO. FRIDERICVS HOMBERGK ZV VACH in *parergis ſacris, p. m.* 159.

Rariorem particulae αντι ſignificationem, qua *aequalitatem* denotat, a DEYLINGIO §. *IV. pag.* 310. commemoratam, perplacere in loco noſtro ſibi iuſſit prae ceteris HERMANNVS VON DER HARDT in *exegeſi difficiliorum locorum quatuor euangeliſtarum* manuſcripta *ad h. l.* ſcribens: *χαρις αντι χαριτος eſt ſimilis gratia, ſimile bonum, ſimilis reſurrectio, ſimilis vita. Sicut Chriſtus reſurrexit, ita et credentes reſurrecturos, ita et credentes in aeternum victuros. Nam* αντι, *vti et germanicum* gegen, *non*

contrarietatem, ſed relationem et reſpectum, et vel paritatem ac conformitatem ſaepe notat. Sic gratia in credentibus vel vita aeterna eſt par gratiae in Chriſto vel vitae aeternae in Chriſto; ſicuti apoſtoli in epiſtolis dicunt, nos cum Chriſto reſurrecturos et in aeternum victuros eſſe. Neutiquam vero ſic exhauriri emphaſin dicti huius, ego crediderim.

XCIX.

Marc. I. 24.

Idem, quem circa antecedentem locum in medium produxi, Helmſtadienſis academiae philologus HERMANNVS VON DER HARDT *citato* ibi *loco* verba haec, a diuo Marco euangeliſta commemorata ita explicat, vt non diabolum, ſed hominem gentilem pro perſona clamante habeat, et το ημας ad gentiles referat, quaſi indignatus homo hic fuerit, quod ethnicos ſit perditurus Ieſus. Hunc in modum ille: *Interfuit concionibus Chriſti in ſynagoga gentilis daemoniacus, qui furore corruptus coepit metum ſuum, quo ex concione Ieſu erat perculſus, publico clamore teſtari, vnde tragica vox* Ah, *ſignum pauoris et metus.*

Me-

Metus iſthoc homine ortus ex communi fama et vulgata inter Iudaeos opinione: Meſſiam Iudaeorum regem deleturum gentiles, ſub quorum iugo et imperio gemerent et ſuſpirarent. Haec Iudaeorum ſpes de perdendis gentilibus per Meſſiam non poterat non per iactabundos Iudaeos dudum percrebuiſſe inter Romanos, Syros, vicinosque gentiles, maxime illos, qui terrae Canaan praecipuam partem poſſiderent. Continua illa Iudaeorum iactantia de futuro ſuo in gentiles imperio et dominio deque gentilibus per Meſſiam perdendis, et ex illa ſpe auctus animus etſi quibusdam gentilium fuerit riſui, quibusdam tamen metum incuſſit, qui vanitatem ſpei Iudaicae non penetrarent. Credulitas itaque gentilium, inter quos habitarent Iudaei, metum illis incuſſit; vt adueniente Ieſu, eoque magna cum virtute loquente et agente, ac a Iudaeorum plebe pro Meſſia aeſtimato, iam iam interitum ſuis capitibus imminere crederent. Etiamſi vero metus ille fuerit vanus, ex vana Iudaeorum iactantia ortus, potens tamen fuit in gentilium credulitate, vt praeſente Ieſu augeretur eorum metus, quod eum eſſe Meſſiam aut regem ex Iudaeis accepiſſent.

Interitum vero et exitium cum a Meſſia, Iudaeorum rege, ſuis impendere capitibus

crederent gentiles, a Iudaeis iactabundis perſuaſi, inter metum indignationem quoque ſuam aperire non deſtiterunt. Iniuſtum quippe ſuum illum interitum non poterant non iudicare, aut ad minimum aegerrime ferre imminentia illa damna et pericula coegit metus. Metui igitur iuncta fuit indignatio, vt conquererentur gentiles de hoc ſuo exitio, a Meſſia, Iudaeorum rege, imminente.

Metum hunc, vt et animum indignabundum, publico et triſti clamore aperit furioſus ille ſpiritu immundo agitatus gentilis, Ieſum cum auctoritate dicentem audiens. Ah, inquit, quid nobis gentilibus rei tecum, Ieſu Nazarene? Quid nos ad te? Scimus et audimus ex Iudaeis abunde, quae mala nobis gentilibus impendeant a nouo Iudaeorum rege. Scimus et colligimus ergo ex tuis grauiſſimis dictis et factis, te iam veniſſe, vt nos gentiles perdas. Veniſti nos perditum. Hoc nos non latet.

Hic hominis affectus docet, non eſſe interrogationem dubitatiuam, num ideo venerit Ieſus, vt eos perderet? ſed diſertam affirmationem, cum indignatione coniunctam, notum eſſe ſatis, quod venerit, illos perditum. Quapropter et diſerte additur

ra-

ratio illius metus. Noui te, inquit, quis ſis. Es ſanctus ille Deus vel Meſſias, Iudaeorum rex.

Ieſus non ferre potuit illam querelam de gentibus delendis. Iuſſit itaque tacere et quieſcere. Silentium vero impoſuit gentili querulo, cum intelligeret, has querelas repetitas ceteris gentilibus anſam daturas, vt, odio aduerſus ſe accenſo, in ſe irruerent ac vim ſibi inferrent. Erat quippe haec ſpes Iudaeorum, vaniſſima licet, de delendis per Meſſiam gentilibus, ſudes in oculis gentilium. Tanto vero ſollicitius ſilentium impoſuit, quanto frequentius inter gentiles terrae Canaan dominos ac poſſeſſores agere debebat. Capernaum quippe, in qua degebat Chriſtus cum diſcipulis, gentilium vrbs erat, in qua et Iudaei ſparſim habitarent. Inuidiae igitur et periculi declinandi cauſa noluit Ieſus admittere haec inter gentiles moleſta ſui praeconia. Quae prudentia erat maxima.

Neque obſtat, quod haec res in ſynagoga contigerit, vnde Iudaeum fuiſſe videatur colligi. Nam in tota regione iam tum innotuerat, quod in litore maris vicini Genezareth obambulans nuntiaſſet imminens re-

gnum, et ad eius conſtitutionem colligere coepiſſet diſcipulos, tanquam regni ſocios; quod, vti Iudaei, ita et gentiles, de regno ciuili deſideratiſſimo interpretabantur. Quare non ſolum Iudaei, ſed et gentiles hoc nuntio commoti, vt magna Iudaeorum ac gentilium turba eum ſectaretur. Secuti itaque in ſynagogam in vrbe Capernaum cum Iudaeis gentiles nouitatis ſtudio. Cum igitur illa occaſione gentilis iſte audiuiſſet Ieſum in ſynagoga de regno Iudaeorum iam iam inchoando cum magna virtute et auctoritate diſſerentem, furoris ſui impetu compulſus coepit indignabundus metum ſuum aperire. Quapropter indignatio hominis gentilis queruli reprimenda erat reciproca graui indignatione ac increpatione, cum eum obiurgaret Chriſtus ac ſilentium cum auctoritate imponeret.

Videt quilibet, quam mire torquere ſe cogatur vir doctiſſimus, rectam conſuetamque dum explicationem ſine ratione ſufficiente deſerit, ac nouam prorſus fingit, nouis firmandam, quae ideo fingendae pariter erant, circumſtantiis. Aperte vero iſta aduerſatur ipſi hiſtoriae ſacrae et narrationi euangeliſtae diui, in qua eorum nec vola nec veſtigium, quae comminiſcitur ingenioſus exegeta, alias doctiſ-

ctiſſimus VON DER HARDT. Neutiquam enim temporalis regni gentilium euerſio, quam Iudaeos erronee anhelaſſe a Meſſia perficiendam conſtat, obiectum erat querularum daemoniaci, vel obſidentis illum ac per eius os loquentis diaboli, verum ſpiritualis regni diabolici euerſio, cuius ergo in mundum veniſſe Seruatorem nouimus. 1. Io. III. 8. Quando autem, notum ſibi Chriſtum eſſe, affirmat infernalis genius, ex ſermone Seruatoris coniectaſſe eum hoc, non certe ſciuiſſe, ex LAMIO docet beatus WOLFIVS *vol. I. curarum philol. et crit. pag.* 431. Conferantur et, quae idem habet *pag.* 67.

C.

I. REGVM. IV. 6.

Huius Adoniram, cuius mentio hic facta eſt, epitaphium repertum eſſe Valentiae in Hiſpania cum duabus lineis hoc ſenſu: *Hoc eſt ſepulchrum Adoniram, ſerui regis Salomonis, qui huc venit, vt exigeret tributum, et mortuus eſt;* refert HENRICVS KORMANNVS in libro *de miraculis mortuorum, part. VIII. cap. XXVI.* Sed fictitiis id annumerandum eſſe narra-

tiunculis, facile patet. Quare iuſtam hoc epitaphium cenſuram experiri debuit beati IOANNIS MICHAELIS DILHERRI in *diſputationibus* ipſius *academicis*, *tom. I. diſp. IV. pag. 56. ſeqq.* vbi VILLALPANDVS, fabulae huius patronum agens, pro merito caſtigatur.

MAN-

MANTISSA PRIOR

EXHIBENS
DE
LVCA EVANGELISTA
MEDICO
DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM

IN
ACADEMIA LIPSIENSI
DIE VII. NOVEMBRIS A. O. R. MDCCXXXVI.
RESPONDENTE
CAROLO CHRISTIANO WOOG
DRESDENSI
PHILOSOPHIAE TVNC BACCALAVREO
IAM
ANTIQVITATVM ECCLESIASTICARVM
IN EADEM ACADEMIA PROF. PVPL.
EXTRAORDINARIO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMISSAM

NOVIS NVNC ACCESSIONIBVS
ADAVCTAM

§. I.

Cum insignem vsum praebeat historiae sacrae, ipsique librorum vtriusque foederis interpretationi accuratior eorum, quae circa virorum diuinitus inspiratorum vitas memoratu digna sunt, cognitio; de diuo Luca euangelista idem inprimis affirmandum est, cum in illius vita tanta occurrat rerum memorabilium copia, vt ignorare eas plane nequeat, qui rite eius scripta intelligere cupit. Vtilem ergo praestitere viri docti operam, qui in explicandis istis atque illustrandis operam suam collocarunt.

Is iam inde ab antiquissimorum temporum memoria singularis fuit vitarum scriptori-

ptoribus honor, vt non libenti minus animo, quam diligenti ſtudio legantur atque relegantur. Cum enim omnis hiſtoria delectet, tum vero ea delectationis habet plurimum, quae in vitis celebriorum virorum enarrandis occupata eſt. Tantum his ineſt iucunditatis pariter ac vtilitatis, vt torpentes etiam ac ſomnolenti hic inueniant, quo excitentur, et quo attentionem ſuam alant, augeant atque ſubinde magis accendant. * Multa diſcuntur ex illis ſingularia, quae ad ipſas ſcientias ſpectant, de quibus numquam cogitarunt, qui praecepta tantum propoſuerunt; imo et arcana exinde quaedam colligi poſſunt, quae non ſcientiam tantum, ſed et prudentiam hominis literati augent, iudice DAN. GEORG. MORHOFIO in *polyhiſtore literario, lib. I. cap. XIX. p. m.* 215. Valet autem hoc inprimis de ſacrorum, quorum miniſterio vſus eſt ſpiritus ſanctus in conſignandis vtriusque foederis tabulis, virorum vitis. Hae namque cum mirum in modum inſeruiant ſcriptis eorundem intelligendis felicius et hiſtoriae ſanctiori curatius explicandae, magni eas faci-

* *De prudentia conuertendi deſcriptas ab hiſtoricis clarorum virorum vitas in vſum politicum* ſingularis exſtat beati IOANNIS HENRICI ERNESTI, profeſſoris quondam Lipſienſis haud inclyti, diſſertatio; iſta in academia anno MDCLXXXVIII. habita.

faciunt, qui in ſacrarum literarum ſtudio vlterius quotidie proficere geſtiunt. Singularem inde iniere apud illos gratiam, qui ex inſtituto iſtas ſumſere ſibi enarrandas, quaeque in iis videbantur obſcuriora, ex incorruptis fideque dignis monumentis illuſtranda. In quo quidem ſummos noſtri temporis viros ſingularem plane induſtriam poſuiſſe videas. Horum exemplo commotus non poteram non inſigni in illud ſtudiorum genus rapi voluptate et ſimile quid tentandi cupidine. In animum ergo induxeram circa diuum Lucam euangeliſtam imitari tantorum virorum laudandam diligentiam, et quae tam in vita ſancti huius viri occurrebant memoratu digna, quam de ſcriptis eius, diuino ab ipſo afflatu conſignatis, obſeruanda erant, accuratius, pro virili quidem, enucleare. Cum vero creſceret ſub manibus materia, ſerio hac de re inſtitutae cogitationis auxilio, conſilium mutaui, vnum hac vice ſaltem vitae eius momentum paulo plenius illuſtratum ſiſtens beneuolo lectori.

Priusquam vero ad rem ipſam me accingam, non alienum eſſe puto, nonnullos eosque praecipuos illorum, qui vitam diui Lucae euangeliſtae deſcripſerunt, indicare. Ex his, praeter eos, qui hiſtoriam eccleſiaſticam primi poſt Chriſtum natum ſeculi ador-

adornarunt, commemorandus primo loco eſt auctor *commentarii in S. apoſtolum et euangeliſtam Lucam*, quem SIMEONEM metaphraſten eſſe voluerunt eruditi. Manuſcripti huius commentarii graeci mentio fit in *bibliotheca Coisliniana, pag.* 211. et a PETRO LAMBECIO in *commentar. de bibliotheca Vindobonenſi lib. VIII. pag.* 224. 252. 259. *et* 262. Graece et latine idem legitur in FRANC. COMBEFISII *auctario nouiſſimo bibliothecae graecae patrum, part. I. pag.* 513. *ſeqq.* et ad calcem ARETHAE *commentarii in apocalypſin*, ſubiuncti OECVMENII *commentariis, Paris.* anno MDCXXXI. in *fol.* editis, *tom. II. p.* 853. *ſeqq.* Graece exhibetur ad calcem *commentariorum Oecumenianorum, Veron.* anno MDXXXII. in *fol.* euulgatorum, *p.* 1009. latine autem apud ALOYSIVM LIPOMANNVM, Veronenſem epiſcopum, in *vitis ſanctorum, tom. I.* et LAVRENT. SVRIVM in *vitis ſanctorum, ad d. XVIII. Octobris.* Pertinent huc porro GILBERTVS COGNATVS, canonicus Nozerenus, in *vitis aliquot chriſtianorum, tom. II. operum, pag.* 233. FERDINANDVS VGHELLVS in *Italia ſacra, tom. VI. p.* 1107. GVILIELMVS CAVE in *antiquitatibus apoſtolicis*, quae, anglice ab auctore conſcriptae, in germanicam linguam translatae Lipſiae anno MDCCXXIV. in forma octopartita prodierunt, *pag.* 762. *ſeq.* AVGVSTI-

NVS

NVS CALMET in *prolegomenis in omnes et ſingulos ſcripturae ſacrae libros, tom. II. p.* 109. *ſeqq.* edit. latinae a IO. DOMINICO MANSI adornatae *Lucae* anno MDCCXXIX. *fol.* IO. HENR. MAIVS in *examine hiſtoriae criticae Simonianae, cap. XII.* IO. ALBERTVS FABRICIVS in *bibliotheca graeca lib. IV. cap. V. pag.* 132. *ſeqq.* DAN. GVIL. MOLLERVS in *diſſ. de quatuor euangeliſtis, Altorfi* anno MDCXCIX. habita, *cap. IV.* et IO. ABRAHAM. KOEHLERVS in *diſſ. de S. Luca euangeliſta, Lipſiae* anno MDCXCVIII. euulgata. * Plura qui cupit, adeat ſummi quondam noſtri aeui theologi ac philologi IO. CHRISTOPHORI WOLFII *curas philologicas et criticas, vol. I. pag.* 544. *ſeq.*

§ II.

Inter cetera autem vitae eius momenta haud vltimi loci quaeſtio eſt, qua: num medicus fuerit? inquiritur. Quam quidem rem

* Addi his et poterit IACOBI IACOBETTI oratio *de ſancto Luca, qui vitam optimi maximi Redemtoris diuinitus éxpoſuit*, quae legitur in ipſius *opuſculis politioris literaturae*, Venetiis anno MDCCXXXVIII. in forma octuplicata publici iuris factis.

rem cum leuiter ſaltem tetigerint alii, alii in medio reliquerint, eandem paulo accuratius ſub examen vocabimus.

Non defuere, qui de ſingularibus circumſtantiis, vel ad vitam diui Lucae, vel ad ſcripta eius pertinentibus, ſpeciatim commentati ſunt. Sic de quaeſtione: num pictor fuerit diuus euangeliſta? quam magno conatu affirmare ſtuduerunt romanae eccleſiae addicti, ſolide egit, eamque refutauit CHRIST. LVDOV. SCHLICHTERVS in *ecloga hiſtorica, qua fabula pontificia de Luca pictore exploditur. Halae Magdeb.* anno MDCCXXXIV. edita. In Theophilum item, in cuius gratiam hiſtoriam tum ſeruatoris, tum apoſtolorum conſcripſit Lucas, eiusque perſonam curatius inquiſiuerunt celeberrimus hodie Gottingenſium theologus CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS in *diſſ. de Theophilo, cui Lucas hiſtoriam ſacram inſcripſit*, inſerta *bibliothecae Bremenſi, claſſ. IV. faſc. III. pag.* 470. *ſeqq.* THEOD. HASAEVS in *ſicilimento ad laudatam* HEVMANNI *diſſertationem, ibid. p.* 489. *ſeqq.* IAC. HASAEVS in *diſſ. de Theophilo Alexandrino, cui Lucas hiſtoriam ſacram inſcripſit, ibid. faſcic. VI. pag.* 1031. *ſeqq.* 10. ADAM. OSIANDER in *diſſ. de Theophilo*

παρα-

χρατισω. *Tubingae*, anno MDCLIX. ventilata. IO. GOTTLOB STOLTZIVS in *vindiciis Theophili euangelici*, *Wittebergae* anno MDCXCIII. editis et recusis in *thesauro theologico philologico tom. II. pag.* 282. *seq.* et GOTTLIEB SCHELGVIGIVS in *dissertatione de Theophilo*, *Gedani* anno MDCCXI. habita. Cum vero nemo hactenus de arte diui Lucae medica ex instituto egerit, illam paulo plenius explicandam nobis sumsimus, a variis quidem, quamuis obiter saltem, hinc inde memoratam. *

§ III.

Nos affirmare illud, quod me-

* Postquam anno MDCCXXXVI. Lipsiae hanc dissertationem publicae luci exposueram, eadem de materia egit, similique prorsus titulo vsus, *de Luca euangelista Medico ad Col. IV. 14.* euulgauit dissertationem epistolicam Halae anno MDCCXL. reuerendus istius academiae theologus BENEDICTVS GOTTLOB CLAVSWITZ, qua venerando seni FRIDERICO HOFFMANNO, fasces academicos sextum capessenti, gratulatus est. Meam dissertationem num ad conscribendum schediasma suum adhibuerit vir doctissimus, iam non diiudicabo, cum nullam prorsus opellae meae mentionem fecerit. Amice autem conspirare vtramque spriptiunculam, ocularis quemlibet docebit inspectio. Eodem namque modo demonstrauit celeberrimus CLAVSWITZIVS, quae ante ego de Luca euangelista medico hac dissertatione demonstrata dederam.

dicus fuerit diuus Lucas euangeliſta, non dubitamus, tribus potiſſimum inducti argumentis.

Ponderatis probe, quae in veterum aeque ac recentiorum monumentis hac de re ſunt tradita, tria inprimis, quibus, diuum Lucam medicum fuiſſe, ſatis, vt videtur nobis, firmiter probari poteſt, deprehendimus argumenta. Ad teſtimonia primum prouocamus veterum pariter ac recentiorum ſcriptorum, qui idem nobiſcum affirmarunt. Secundum argumentum diuus Paulus apoſtolus praebet, in epiſtola ſua ad Coloſſenſes data, cap. IV. comm. 14. Lucae medici mentionem faciens; quo quidem eum Lucam euangeliſtam innuiſſe, infra demonſtrabimus. Ipſe denique diui Lucae ſtilus, veterum medicae artis peritorum ſcribendi rationi plus, quam ceterorum euangeliſtarum, conueniens eandem calluiſſe eum, teſtatur. Vltimo tandem loco ex ipſis illorum, qui, Lucam noſtrum medicum fuiſſe, negarunt, argumentis eorundemque leuitate theſin noſtram fortius probabimus.

§ IV.

Quod ad teſtimonia attinet vete-

veterum pariter ac recentiorum ſcriptorum, quibus Lucas euangeliſta medicus perhibetur, primum in medium producendi erunt veteris eccleſiae doctores. Fuere enim haud pauci tam graecae, quam latinae eccleſiae, qui diſertis verbis illud teſtati ſunt.

Ex graecis patribus noſtro euangeliſtae hoc elogium tribuit EVSEBIVS, ἰατρον eum appellans in *hiſtoria eccleſiaſtica, lib. III. cap. IV.* vbi etiam ad artem eius eleganter alludens ſcribit, reliquiſſe eum nobis in duobus voluminibus, diuinitus inſpiratis, των ψυχων θεραπευτικης υποδειγματα. Sequuntur hunc praeter EPIPHANIVM CHRYSOSTOMVS *homil. XII. in epiſt. ad Coloſſenſes, tom. VI. operum, pag.* 250. THEODORETVS *commentario in epiſtolam ad Coloſſenſes, tom. III. operum, pag.* 363. auctor *commentarii in S. apoſtolum et euangeliſtam Lucam* ſupra laudatus, qui eum ab arte medica, ceu nota propria, plerumque deſignari ait; THEOPHYLACTVS *argum. in Lucam, pag.* 293. NICEPHORVS in *hiſtoria eccleſiaſtica, lib. II. cap. XLIII.* MOSES BAR-CEPHA, epiſcopus Syrus, in *commen-*

tario de paradiſo; EVTYCHIVS, patriarcha haud incelebris Alexandrinus, arabice SAID IBN BATRIK dictus, in *annal. Alexandr. tom. II. Menaea Graecorum, menſ. Octobr. p.* 114. Quibus adde auctorem *vitarum euangeliſtarum quatuor*, quas ex codice arabico PETRVS KIRSTENIVS anno MDCCVIII. in folio edidit, *pag.* 44. et EVTHYMIVM ZIGABENVM in *commentario in quatuor euangelia*, citatum DAN. GVIL. MOLLERO in *diſſ. de quatuor euangeliſtis, cap. IV. § IV.* ORIGENEM quidem, idem *homil. in epiſtolam ad Romanos* affirmantem, huc etiam refert IO. REISKIVS in *exercitationibus hiſtoricis de imaginibus Chriſti, exerc. V. cap. II. § IV.* dubitamus autem, num ORIGENEM ipſum conſuluerit REISKIVS, nobis enim opera eius euoluentibus locum iſtum reperire non licuit.

Ad latinae eccleſiae doctores quod attinet, HIERONYMVS a veteribus eccleſiae tractatoribus medicae artis ſcientiſſimum habitum fuiſſe Lucam, refert in *comment. in Eſaiam, c. VI. tom. V. operum, pag.* 28. eumque de medico corporum in medicum animarum verſum eſſe dicit, vti apoſtoli de piſcatoribus piſcium facti fuerint piſcatores hominum, *comment. in epiſt. ad Philemonem, tom. IX. operum, pag.* 213. Hinc ille ibidem artem medicam, quam coluit euangeliſta,

liſta, ad euangelium eius non ineleganter applicat his verbis: *cuius liber quotiescunque legitur in eccleſiis, toties eius medicina non ceſſat;* et *in epiſt. ad Paulinum, tom. III. operum, pag.* 7. de actis apoſtolorum ſcribit: *nudam ſonare videntur hiſtoriam, et naſcentis eccleſiae infantiam texere; ſed ſi nouerimus, ſcriptorem eorum eſſe Lucam medicum, cuius laus eſt in euangelio, animaduertemus, omnia verba illius animae languentis eſſe medicinam.* Conf. eundem in *epiſtola ad Damaſum, tom. III. operum, pag.* 83. et in *prooem. ad Matthaeum, tom. IX. operum, pag.* 11. nec non in *catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, cap. VII. tom. I. operum, pag.* 173. Idem cum HIERONYMO affirmat DOROTHEVS martyr, epiſcopus ſiue, vt malunt alii, presbyter Tyrus, in *ſynopſi de vita et morte prophetarum, apoſtolorum et diſcipulorum domini,* quae habetur in *bibliotheca patrum magna, tom. III. pag.* 148. et AVGVSTINVS *de conſenſu euangeliſtarum, lib. I.* Adde PAVLINVM *carmine* 24. et BEDAM, quem venerabilem vocant, *comment. in acta;* quorum ille eleganter canit:

Bis medicus Lucas, prius arte, deinde loquela,
Bis medicus Lucas, vt quondam corporis aegros

Terrena curabat ope, et nunc mentibus aegris
Compoſuit gemino vitae medicamina libro.

Ab vrbe tandem Antiochia, quae patria contigerat diuo Lucae euangeliſtae, nonnullis *medicus Antiochenſis* dictus fuit, v. g. HIERONYMO in *catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, cap. VII. tom. I. operum pag.* 170. et SOPHRONIO in *vita Lucae* apud THEOPHYLACTVM *comment. in quatuor euangelia*; quos et recentiores quidam ſunt ſecuti.

§. V.

Conſtans ergo apud veteres fuit traditio, diuum Lucam fuiſſe medicum. Quamuis autem ante quartum poſt natum mundi ſeruatorem ſeculum nulla hodie exſtent ſcriptorum eccleſiaſticorum hac de re teſtimonia, non tamen inde, plane defuiſſe ea, coniicere licet. Ex aliis enim ſcriptoribus paulo recentioribus, primis etiam poſt natum Chriſtum

ſtum temporibus idem creditum fuiſſe, patet.

Non eſt, quod nobis obiiciatur, deeſſe ex tribus prioribus * poſt Chriſtum natum ſeculis ſcriptores, qui, medicum fuiſſe euangeliſtam Lucam, fuerint teſtati. Recte enim loco ſupra iam citato prouocat HIERONYMVS ad *veteres eccleſiae tractatores*, qui medicae artis peritiſſimum crediderint euangeliſtam; quare hunc eſſe ſuſpicatur ANDR. TIRAQVELLVS *libro de nobilitate, cap. XXXI. num. LXXXVII. pag.* 263. cuius meminit GALENVS in *aphoriſmis Hippocratis*, cum nullus ante GALENVM alius huius nominis medicus legatur. Dolendum vero eſt, periiſſe temporis iniuria illa veterum ſcripta, quae aetatem primis poſt natum ſeruatorem temporibus proximam attigerunt. Nec dubio caret, quin etiam de arte diui Lucae medica, vti et de aliis antiquitatis eccleſiaſticae capitibus, plura forent ad manus nobis teſtimonia, ſi ſingula patrum ſcripta ad nos peruenisſent. Sup-

* Adducit quidem IRENAEVS, ſeculi ſecundi ſcriptor, *lib. III. contra haereſes*, *cap. XIV.* de euangeliſta Luca verba faciens, locum Paulinum Col. IV. 14. non tamen diſertis verbis, medicum fuiſſe eum, affirmat.

plet autem defectum horum ipſum diui Pauli apoſtoli, viri diuino ſpiritu acti, teſtimonium, quod inſtar omnium a nobis merito iudicatur, pluribus infra commemorandum.

§. VI.

Veteris horum eccleſiae doctorum ſententiam non defuerunt ex recentioris aeui ſcriptoribus, qui calculo ſuo approbarunt. Quorum quidem vel praecipuos ſaltem hoc loco indicaſſe ſufficiat.

Ex noſtratibus inprimis huc pertinent OTTO BRVNSFELSIVS, quem inter primos, Lutheri qui partibus acceſſerunt, fuiſſe conſtat, in *catalogo illuſtrium virorum vet. et nou. teſtamenti, fol.* 14. *b.* CENTVRIATORES MAGDEBVRGENSES *cent. I. lib. II. pag.* 609. FRID. BALDVINVS *comment. in epiſt. ad Coloſſ. cap. IV. c.* 14. ERASMVS SCHMIDIVS in *notis ad nouum teſtam. ad citat. Pauli locum;* MART. CHEMNITIVS in *harmonia euangelica, prolegom. cap. VIII. pag.* 31. IO. GERHARDVS in *exegeſi loci de ſcri-*

ſcriptura ſacra, §. *CCXLV.* IO. GEORGIVS DORSCHEVS *prolegom. commentarii in euangelium Lucae*; IO. ANDR. QVENSTEDIVS in *diſputationibus exegeticis in epiſtolam S. Pauli ad Coloſſenſes*, coniunctim Wittebergae anno MDCLXIV. excuſis, *diſſert. VIII.* §. *XXIX.* * CONRAD. SAMVEL. SCHVRTZFLEISCHIVS in *appendice ad controuerſias et quaeſtiones inſigniores antiquitatum eccleſiaſticarum*, quas ex manuſcripto edidit et *compendio antiquitatum eccleſiaſticarum*, ſua cura Lipſiae anno MDCCXXXIII. in forma octopartita prodeunti, annexit IO. GEORG. WALCHIVS; ſummus olim IO. ALBERT. FABRICIVS in *bibliotheca graeca, vol. XIII. pag.* 309. IO. REISKIVS in *exercitationibus hiſtoricis de imaginibus Ieſu Chriſti, exerc. V. cap. II.* §. *IV.* aliique.

Ex reformatis idem ſenſerunt RVDOLPHVS HOSPINIANVS de *feſtis chriſtianorum, pag.* 149. HVGO GROTIVS *annotatis ad euangelium Lucae, tom. VI. criticorum ſacr. pag.* 1151. GVIL. CAVE in *antiquitatibus eccleſiaſticis* ſupra citatis, *pag.* 763. et in *hiſtoria literaria ſcriptorum eccleſiaſticorum*,

* Add. IO. BARTOLDVS NIEMEIERVS in diſſertatione *de eccleſiaſticis ordinibus*, Helmſtadii anno MDCCIV. habita, *pag. 10.*

rum, ſec. I. pag. 17. IO. LEVSDENIVS in *philologo hebraeo-graeco, diſſert. XVIII. ſect. XIV. pag.* 145. IO. CROCIVS *comment. ad Col. IV.* 14. IO. HENR. HEIDEGGERVS in *enchiridio biblico, pag.* 486. *ſeqq.* IO. CASP. SVICERVS in *theſauro eccleſiaſtico, tom. I. pag.* 1433. eiusdemque filius IO. HENRICVS in *commentario critico-exegetico in epiſt. ad Coloſſenſes*, qui cum *profeſſione eum medicum fuiſſe* affirmaſſet, *non exigua*, addit, *medicinae cum laude; etiam magno ſuo atque aliorum cum commodo, ſimul animo opem ferentem*; rationem quoque adducit: *neque diſſident*, pergens, *inter ſe haec medendi genera.* FRANC. GOMARVS in *explicatione epiſtolae ad Coloſſenſes, tom. II. operum, pag.* 249. FRID. SPANHEMIVS in *hiſtoria eccleſiaſtica, tom. I. operum, p.* 258 CAR. DRELINCOVRT et DANIEL VINK, medici Batavi, ille in *operibus medicis, pag.* 72. hic in *amoenitatibus philologico-medicis, pag.* 219. Adde IO. DAVENANTIVM, IO. CAMERONEM, aliosque.

Ex pontificiae denique eccleſiae doctoribus eandem ſuam fecerunt ſententiam * AV-

* HAYMO, monachus primo Fuldenſis, dein Hirſchfeldenſis coenobii abbas, tandemque eccleſiae Halberſtadienſis epiſcopus, in *breuiario hiſtoriae eccleſiaſticae*, (circa annum DCCC. ſcripto, et a MAR-

AVGVSTINVS CALMET *in prolegomenis in omnes et ſingnlos ſcripturae ſacrae libros, tom. II. pag.* 109. IOANNES MALDONATVS *comment. in quatuor euangeliſtas, tom. II. pag.* 5. *a.* ANDR. TIRAQVELLVS *libro de nobilitate, cap. XXXI. n.* 87. FRANC. SIXTVS, Senenſis, in *bibliotheca ſancta, lib. I. pag.* 21. IO. STEPH. MENOCHIVS in *trattenimenti eruditi ſ. ſelua di varia lettione*, Romae anno MDCLIII. in forma quadruplicata edita, *part. II. pag.* 487. GVIL. ESTIVS in *commentario ad Col. IV.* 14. et IAC. HYACINTHVS SERRY in *exercitationibus hiſtoricis, criticis, polemicis de Chriſto eiusque virgine matre*, Venetiis anno MDCCXIX. in forma quadripartita editis, qui cum *exerc. XLVII.* de imaginibus Mariae, quae a Luca pictae circumferuntur, diſſeruiſſet, fabulamque illam exploſiſſet, §. *XI.* Lucam ex priſtina profeſſione non pictorem, ſed medicum fuiſſe affirmat.

§. VII.

Praecipuum ad demonſtrandam artem Lucae noſtri medicam

MARCO ZVERIO BOXHORNIO Lugduni Batauorum anno MDCL. in forma duodecima edito,) *lib. III. cap. IV.*

cam argumentum, quod quidem primo loco commemorandum erat, ab ipſius diui Pauli apoſtoli teſtimonio deſumitur. Facit hic mentionem Lucae medici *Col. IV. 14.* Euangeliſtam autem hunc ipſum fuiſſe, quem Paulus ſignificauerit, credidere ex veteribus aeque ac recentioribus vnanimi conſenſu fere omnes.

Maximum probationi noſtrae ex teſtimonio hoc apoſtoli Pauli accedere momentum, quiuis facile perſpiciet. Paulo accuratius ergo illud conſiderare, operae pretium erit. Cum primum Romae captiuus teneretur diuus apoſtolus, epiſtolam hanc ad chriſtianos, qui in vrbe Phrygiae Pacatianae Coloſſis erant, exarauit. Apparet id ex eo, quod ſpem reditus ſui fouerit, ac faciat, et Timotheum praeſentem ſibi, haec ſcribens, habuerit, quo in ſecundo carcere deſtituebatur; vti docte obſeruauit beatus IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis* ſuis *philologicis et criticis, vol. III. p. 277.* Conf. et SALOM. VAN TIL in *iſagoge ad epi-*

epiſtolam Pauli ad Coloſſenſes, praemiſſa eius *in eandem commentario, artic. VIII.* Aderat ipſi tunc temporis etiam Lucas hic, cuius nomine Coloſſenſes ſalutans *c. IV. comm.* 14. Ασπαζεται, ſcribit, υμας Λουκας ο ιατρος ο αγαπητος. Fuiſſe autem hunc ipſum euangeliſtam Lucam, magnus fuit antiquitatis conſenſus non tantum apud latinos, ſed et graecos patres, et in prolegomenis quoque arabicis, vti bene monet IO. GEORGIVS DORSCHEVS *prolegom. commentarii in euangelium Lucae.* Vt nonnullos adducamus, ſentiunt ita ex veteribus * EVSEBIVS in *hiſtoria eccleſiaſtica. lib. III. cap. IV.* THEOPHYLACTVS *argum. euangelii Lucae, p.* 293. CHRYSOSTOMVS *homil. XII. in epiſt. ad Coloſſ. tom. VI. operum, pag.* 250. THEODORETVS *comment. in epiſtolam ad Coloſſenſes;* HIERONYMVS in *catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, cap. VII.* BEDA in *acta apoſtolorum.* Hos ſecuti ex recentioribus fere omnes, et inprimis, qui epiſtolam diui Pauli ad Coloſſenſes datam commentariis illuſtrarunt. Ex noſtratibus v. g. huc ſpectant MART. CHEMNITIVS in *prolegom. ad harmoniam euangelicam, cap. VIII. pag.* 31.

IO.

* IRENAEVM quoque *lib. III. contra haereſes, cap. XIV.* de euangeliſta Luca agentem, locum hunc Paulinum Col. IV. 14. adducere, ſupra in ſubiecta nota monui.

IO. GERHARDVS in *exegeſi loci de ſcriptura ſacra*, §. *CCXLV.* et in *annotationibus poſtumis in epiſtolam ad Coloſſenſes*; DAN. ARCVLARIVS *comment. in acta apoſtolorum*; MICH. WALTHERVS in *harmonia biblica*, *p. m.* 1197. aliique plures, quos ſupra ad §. *VI.* vna cum praecipuis reformatae pariter ac pontificiae eccleſiae doctoribus citauimus, qui Lucam euangeliſtam hoc loco a Paulo indicatum fuiſſe, ſtrenue affirmarunt.

§. VIII.

Nec eſt, quod alium hic intelligendum eſſe Lucam, ab euangeliſta diuerſum, credamus; cum nulla exſtet ratio, quae a propria eaque faciliori interpretatione recedere nos iubeat.

Cum alias propriam et faciliorem interpretationem haud ſine vrgente neceſſitate deſerendam eſſe, recte doceant, qui exegeſeos, ſacrae praecepta tradunt, idem etiam circa hunc Paulinum locum obſeruandum nobis eſt. Circumſtantias vero illius ſi conſideremus accuratius, et cum aliis eundem conferamus, deprehendemus, nul-

nullum alium Lucam, niſi euangeliſtam, a diuo apoſtolo fuiſſe intellectum. Coniungit iſte Lucam hunc medicum, cuius nomine Coloſſenſes ſalutat, cum Dema, vt et Ariſtarcho, Marco atque Epaphra, quibuscum aliis etiam in locis eum coniunxit, nimirum 2 *Tim. IV.* 11. 12. et *Philem. comm.* 24. quam quidem ad Philemonem epiſtolam eodem, quo illam ad Coloſſenſes, tempore exaratam fuiſſe, plerisque perſuaſum eſt. In his autem locis nemo vmquam, quin Lucam euangeliſtam indicauerit Paulus, dubitauit. Quae ergo foret ratio, cur in epiſtola ad Coloſſenſes data alium, quam euangeliſtam, nos intelligeremus? Vrgent argumentum hoc, et recte quidem, GVIL. ESTIVS *comment. ad h. l.* et FRANC. GOMARVS *tom. II. operum, pag.* 249. Alterum, quo fortius adhuc confirmatur illud, argumentum ipſa Lucae praebet praeſentia. Aderat is Paulo apoſtolo Romae, cum hanc ad Coloſſenſes ſcriberet epiſtolam. Ex *Actor. XXVIII.* 14. enim conſtat, Paulum vna cum Luca euangeliſta, ceterisque itineris ſociis poſt varias in Macedoniam, Graeciam, in plurimas Aſiae prouincias, ac denique Hieroſolymas ſuſceptas peregrinationes Romam peruenisſe, ibidemque captiuum retentum fuiſſe; in qua captiuitate quoque Lucas, qui hucusque et itinerum et laborum apoſtoli ſo-

cius fidiſſimus fuerat, cum eodem perſeue-
rauerat. Sine omni ergo ratione alium Lu-
cam fingeremus, Paulo tunc, cum ad Co-
loſſenſes ſcriberet, praeſentem hosque salu-
tantem, eam ſaltem ob cauſam, quoniam
medicum eum vocauerit. Concludimus
potius in contrarium: cum ex antiquitate
eccleſiaſtica conſtet, diuum Lucam euan-
geliſtam indiuiduum fuiſſe apoſtoli Pauli co-
mitem, eidemque tunc temporis, cum ad
Coloſſenſes exararet hanc epiſtolam, Ro-
mae adfuiſſe, eadem vero veterum monu-
menta nos quoque doceant, medicum fu-
iſſe hunc Lucam euangeliſtam; nullus alius,
quam hic euangeliſta, in citato Pauli loco
ab eodem potuit intelligi. Alium enim Lu-
cam, praeter euangeliſtam; Paulo familia-
rem, ignorat omnis antiquitas. Conf. IO.
GEORG. DORSCHEVS in *prolegom. commen-
tarii in euangelium Lucae*, et GVIL. ESTIVS
loco ſupra *citato*. Accedit, quod inprimis
vrgent beatus MICH. WALTHERVS in *har-
monia biblica, ad h. l.* et beatus IO. ANDR.
QVENSTEDIVS in *diſputationibus exegeticis
in epiſtolam S. Pauli ad Coloſſenſes, diſp. VIII.
§. XXIX.* additum τοῦ ἀγαπητοῦ epitheton,
euangeliſtam hunc ipſum fuiſſe, aperte te-
ſtari, illum nimirum propter plurima officia
et fidem ſingulariter dilectum, qui Pauli
erat συνεργός, *Philem. c.* 24. et fidelis ac
indiuiduus itinerum, periculorum carce-

risque eius comes, inde a *cap. XVI. actorum* ad finem vsque, et vsque ad apoſtoli martyrium, 2. *Tim. IV.* 11. quem etiam 2. *Corinth. VIII.* 18. prout HIERONYMVS cenſet, fratrem ſuum appellat, cuius laus ſit in euangelio per omnes eccleſias et *comm.* 23. apoſtolum eccleſiarum ac gloriam Chriſti, quem iuſſerint eccleſiae comitem eſſe itinerum ipſius. *comm.* 19. Quae HIERONYMI ſententia et ex eo confirmari poteſt, quod in fine epiſtolae memorantur Titus et Lucas, per quos epiſtola miſſa ſit. Conf. HENRICVS HAMMONDVS in *paraphraſi et annotationibus in nou. teſt. ad loc. cit. et ad Rom. XVI.* 7.

§. IX.

Fuerunt quidem inter eruditos, qui hic Lucam euangeliſtam neutiquam intelligendum eſſe putarunt, aliumque potius ab apoſtolo Paulo fuiſſe indicatum, contenderunt. Verum enimuero rationibus, quibus inducti illi pro hac opinione propugnarunt, rite expenſis, eas

minus probabiles esse, deprehendimus.

Primus, qui nobis innotuit, veterem et communem Paulini loci interpretationem in dubium vocauit DESIDERIVS ERASMVS, Roterodamus, in *annotationibus ad nou. testamentum*, anno MDXXI. editis, *pag.* 511. quem secutus IO. CALVINVS *commentario in epistolam ad Colossenses, tom. VII. operum*, Amstelodami anno MDCLXVII. in folio excusorum; antiquitatis inde hostis et nouitatis amator dictus IO. MALDONATO in *commentario in quatuor euangelistas, tom. II. pag.* 5. *a.* In eandem sententiam deinde abierunt SAM. BASNAGE, qui in *annalibus politico-ecclesiasticis ad A. C. LX. n.* 33. *tom. I. pag.* 713. Lucam medicum a Luca euangelista solicite distinguit, et ex nostratibus reuerendus CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS *tom. II. poeciles, pag.* 518. *seq.* nec non GOTTLOB KRANZIVS, dubium esse iudicans, in *compendio historiae ecclesiasticae*, post mortem eius a IO. CASP. GEMEINHARDT auctius euulgato, *pag.* 50. *in notis*, vt et celeberrimus Lubecensium philologus IO. HENR. A SEELEN in *diatr. de medicorum meritis in sacram scripturam*, in ipsius *meditationibus exegeticis, part. II.*

pag

pag. 699. ſeqq. recuſa, §. *XLVII.* qui etiam dubitare videtur.

Rationes, quae, vt Lucam euangeliſtam ibi intelligant, non permittere videntur viris his doctiſſimis, quatuor potiſſimum ſunt:

α) Quia notior ille fuerit, quam vt artis nomine eum deſignauerit Paulus apoſtolus, ideoque aut nullo plane addito, aut ſplendidiori titulo debuiſſe eum ab eodem inſigniri, putant. Ita CALVINVS ſubſumit, quando *citato loco* ait: *non aſſentior iis, qui euangeliſtam Lucam intelligunt, nam et notiorem fuiſſe iudico, quam vt opus fuerit tali indicatione, et ſplendidiori elogio fuiſſet inſignitus. Certe coadiutorem ſuum, aut fidum ſaltem comitem, et certaminum participem vocaſſet.* In calce tamen, addit, ſe non contendere tanquam de re certa, ſed tantum coniecturas afferre. Simpliciter eum, nullo addito artis nomine, Paulum deſignaturum fuiſſe, ſi innuiſſet euangeliſtam, doctiſſimus HEVMANNVS cenſet *l. c. Si iſto loco Paulus innuiſſet comitem ſuum, omnibus notum, Lucam euangeliſtam, ſimpliciter vocaſſet Lucam, vti fecit 2. Tim. IV. 11. At vt ſignificaret, ſe de alio Luca loqui, diſcriminis cauſa addit ο ἰατρος.* SAMVEL BASNAGIVS, qui quaeſtionem hanc magnis pon-

ponderibus examinandam artificisque non populari trutina iudicat, *cit. loco* Paulum addito potius euangeliſtae, quam medici, titulo Lucam commendaturum fuiſſe, exiſtimat. Quamuis enim medicinam concedat eſſe ſcientiam nobilem, multum vtilitatis afferentem humano generi; tanto tamen infra praedicandi munus eſſe pronuntiat, quanto corpus a mente ſuperetur. At vero, ſi dicendum quod res eſt, non videtur tanti eſſe ponderis haec ratio, vt idem nobis perſuadeat, quam quidem nimis debilem appellat IO. GEORG. DORSCHEVS ſaepius *cit. loco*, vt totius antiquitatis conſenſus ea infringatur. Rectius contra IO. MALDONATVS argumentatur *l. c. Si Lucas ille, de quo Paulus loquebatur, euangeliſta nón erat, aliqua eum debuit certiori nota diſtinguere, non ita deſcribere, vt omnis erraret antiquitas, euangeliſtam putans, qui medicus fuerit, arte longe diuerſa.* Nec ſplendidiori titulo potuiſſe eum ab apoſtolo inſigniri, monet, quam vt vnus inter multos, qui ſimul nominabantur, cariſſimus appellaretur, quod vocabulum intimum affectum denotat, quo titulo pater quoque coeleſtis filium e coelis vocabat. *Matth. XVII* 5. Nemo ſane Paulo carior, quam Lucas, perpetuus eius comes, aut eſſe poterat, aut vocari debebat, nemo ſolus cariſſimus, niſi qui ſolus eum in ſummis periculi-

culis non deſeruerat. 2. *Tim. IV.* 11. Timothei exemplum in ſubſidium vocat MALDONATVS, qui, quamuis etiam adiutor Pauli fuerit in praedicando euangelio, non tamen ſemper comes aut eiusdem particeps certaminis appelletur, ſed aliquando filius cariſſimus, 1. *Cor. IV.* 17. titulo illi conſimili, quem Lucae tribuit, aliquando tantum Timotheus, nullo adiecto epitheto honoratiori, 1. *Cor. XVI.* 10. Vti autem non neceſſariae ſemper ſunt eiusmodi appellationes, a conſuetudine potius et libertate ſcribentis pendentes, ita concedimus, neceſſarium quidem non fuiſſe, vt titulus medici adderetur; at ſine vlla tamen textus diuini grauatione addi ab apoſtolo potuiſſe, ſimul obſeruandum. Dum ergo diuus Paulus medicum hic vocauit Lucam, non euangeliſtam, libere id fecit, vti 2. *Tim. IV.* 11. ſolo nomine contentus nihil addidit, contra *Philem. comm.* 24. pari libertate coadiutoris vocem adiecit. Conf. FRANC. GOMARVS in *explicatione epiſtolae ad Coloſſ. part. II. operum, pag.* 249. Si quid interim coniectura aſſequi licet, fortaſſe ideo hoc loco Paulus medici nomen addidit, quoniam arte iſta Coloſſenſibus euangeliſta innotuerat, vti beatus SEBAST. SCHMIDIVS exiſtimat in *comment. ad h. l.*

β) quia moris non ſit, theologum a priſtina viuendi ratione, ſed a munere, quod praeſens obeat, vocari. Vrget hoc doctiſſimus BASNAGIVS, non ab ea arte, quam olim tractauerint verbi diuini praecones, deſignari eos poſtmodum putans; quare Lucam hic non a communi, ſed a ſacra potius diſciplina titulum adipiſci debuiſſe iudicat. * Quid vero impedit, quo minus etiam a priſtino vitae genere Lucas hic vocetur medicus? Simile exſtat diui Matthaei euangeliſtae exemplum, qui ante conuerſionem publicanum egerat, at apoſtoli iam munere fungens adhuc τελωνης vocatur. Conf. HIERONYMVS *ad Coloſſ. IV.* 14.

tom.

* Ex ordine temporum, quem in ſcriptis noui foederis, locandis ſequuntur IOANNES PEARSONIVS in *annalibus Paulinis* et IOANNES MILLIVS in *prolegomenis ad* editum a ſe *nouum teſtamentum*, *num. LXXX. et CXII.* et ſecundum epiſtola ad Coloſſenſes, in qua Paulus Lucam medicum dicit, anno aeris chriſtianae LXII. euangelium vero Lucae anno LXIV. ſcriptum eſt, argumentatur reuerendus CLAVSWITZIVS §. *VII.* Lucam, cum euangelium hoc tempore nondum ſcripſerit, neque eccleſiis hoc nomine innotuerit, euangeliſtae nomine commendari nondum potuiſſe, ιατρου vero nomine potius appellari, quod vitae hac prioris conditione Coloſſenſibus forte aliisque cognitus fuerit, nec artis ſalutaris exercitio tunc temporis abſtinuerit. Habet haec ex beati IOACHIMI LANGII *apoſtoliſchem Licht vnd Recht*, *ad Coloſſ. IV.* 14.

tom. IX. operum, pag. 304. Accedit, quod incertum adhuc ſit, annon etiam tunc medicum Lucas egerit, adeoque non tantum priſtina, ſed etiam praeſens fuerit haec eius viuendi ratio, qua de re pluribus infra dicemus.

γ) quoniam Lucas iſte, cuius nomine hic Coloſſenſes ſalutabat apoſtolus, expers fuerit circumciſionis. Colligit hoc ex ſalutandi ordine laudatus BASNAGIVS, quo vtatur Paulus in eodem capite, *comm.* IO. II. vbi ſibi Ariſtarchum, Marcum et Ieſum, Iuſtum dictum, ſolos ex circumſione adeſſe cooperarios teſtetur. Hoc autem in euangeliſtam plane non quadrare ipſi videtur, qui in deſignandis temporibus Iudaeorum adhibeat diſciplinam, pentecoſten ſcilicet ieiunium, tertiam noctis vigiliam, adeoque iudaicum morem ſequatur; cuius calamo ſpiritus ſanctus vſus fuerit exarandae non contemnendae ſacrorum codicum parti. Diuina vero oracula, vti Iudaeis credita praecipua fuerint, ſic iudaico quoque calamo ſcripto mandari debuiſſe, putat vir doctiſſimus. Hoc ipſo ergo Paulum redarguere HIERONYMVM contendit, qui in *quaeſtionibus* ſuis *in Geneſin, pag.* 39. Lucam egiſſe proſelytum, narrauerit. Dum enim Paulus apoſtolum Lucam medicum ex circumciſione vnum eſſe neget, coarguere eum traditionem de Luca proſelyto, quo-

niam proſelyti abdicato praeputio in vnum cum gente iudaica corpus coaluerint, vt adeo ex HIERONYMI traditione non obſcuro diſcrimine Lucas euangeliſta a Luca medico diſtinguatur. Totum vero hocce BASNAGII corruit argumentum, duplici fundamento, quo illud nititur, euerſo. Primum enim ex ſalutandi ordine, quem adhibuit Paulus, non ſequitur, Lucam fuiſſe gentilem. Salutantes dum commemorat, primum eos, qui ex circumciſione cum ipſo erant, nempe Iudaeos in ſinu eccleſiae iudaicae natos, indicat: *comm.* 10. 11. inde ad eos, quos ex Coloſſenſium coetu ſecum habebat, pergit: *comm.* 12. poſtea Lucam et Demam nominans, neque quod ex circumciſione fuerint, neque quod ex gentilium numero, neque quod proſelyti, affirmat, ſed nuda nomina proferens, ſolo του ιατρου titulo Lucam deſignat. Deinde adeo certum non eſt, Lucam fuiſſe Iudaeum, neque id BASNAGIVS ſatis ex allegatis in euangelio Lucae ritibus dictisque iudaicis confirmat. Certe opus non erat ad conſignandam hiſtoriam euangelicam, prius ſacra Iudaeorum amplecti. Satis erat, quod Chriſto fidem dederat euangeliſta, hiſtoriam eius conſignaturus, quam non Iudaeis tantum, ſed et gentilibus deſtinaſſe ſummi numinis clementiam, conſtat. Cumque gentiles etiam ſub noui foederis temporibus

bus dona ſpiritus ſancti acceperint extraordinaria: quidni etiam illis ſpiritus ſanctus vti potuit librorum ſacrorum ſcribis? Imo ad peculiarem dei prouidentiam id referendum eſſe, putat IOANNES GEORGIVS DORSCHEVS in *praecognitis ad commentarium in acta apoſtolorum*, quod, cum reliqui euangeliſtae procul dubio Iudaei fuerint, hic primus ex gentilibus ad euangeliſtae dignitatem aſſumtus, imo vnus, fuerit. Hoc enim ipſo voluiſſe deum demonſtrare, autumat vir ſummus, etiam gentiles ad euangelium pertinere. Conf. IO. LVDOV. LINDHAMMERVS in *praecognitis ad commentarium in acta apoſtolorum*, §. *V.*

δ) quoniam articulus, diſcernendi cauſa additus, magis ſuadeat, vt de alio quopiam Luca dictum hoc accipiamus, quam de Luca euangeliſta. Verba haec ſunt DESIDERII ERASMI, Roterodami, *cit. loco.* Dubito autem, an ſatis praegnans ſit haec ratio. Non enim diſcernendi cauſa additus ab apoſtolo fuit articulus; potius maioris illum emphaſeos cauſa addidiſſe eum, dicendum erit, ſi aliquid ſignificare deberet, quo digito quaſi monſtret Lucam illum euangeliſtam, quem medicum eſſe omnes ſciant, quemque vt fideliſſimum ſuum comitem magni ſe facere, pariter conſtet.

§. X.

§. X.

Cum itaque, neminem, niſi euangeliſtam Lucam, fuiſſe iſto loco a Paulo apoſtolo intellectum, euictum dederimus; de addito ab eodem του αγαπητου elogio inquirendum adhuc eſt, num ad nomen Lucae referendum ſit, an vero epitheton του ιατρου dicendum?

Medici epitheton eſſe το αγαπητος, putauit SEBAST. SCHMIDIVS in *commentario ad h. l.* quaſi dixerit apoſtolus: *dilectiſſimus mihi medicus.* Et videtur ipſi quidem Paulus eum non tantum vocare medicum propter medicinam corporalem, ſed maxime ob ſpiritualem, quod non corporum ſolum, ſed et animorum medicus exſtiterit; quomodo per elegantem alluſionis tropum incluſum ſimul coadiutor dicatur apoſtoli. Rationem, quare epitheton του ιατρου faciat, reddit hanc, quoniam deſit in graeco articulus. At vero haud videmus, quo fundamento hoc affirmauerit ſummus olim hic theologus. Adeſt enim in omnibus codici-

codicibus graecis articulus; qui quidem si adsit, ipse concedit SCHMIDIVS, Lucae iudicandum esse epitheton το αγαπητος. Nec vllum, qui omiserit articulum, codicem adduxit in sua noui testamenti editione IO. MILLIVS. Malumus ergo cum GVIL. ESTIO, quem a se dissentientem citat SCHMIDIVS, το αγαπητος esse epitheton non του ιατρου, sed Lucae, quasi dicat Paulus: *Lucas medicus, et mihi dilectus.* Quocum consentit etiam beatus LVTHERVS, qui vertit: Lucas der Arzt, der Geliebte. Additus autem hicce του αγαπητου titulus multum confirmat, quod Lucam euangelistam indicauerit apostolus, quippe in quem optime quadrat.

§. XI.

Inprimis vero ipse diui Lucae stilus, illum medicae artis fuisse peritissimum, euincit. Sermo enim eius cum ad veterum normam propius isto, quo vtuntur ceteri euangelistae, accedat, ipseque, vbi de morbis eorumque curationibus agit, verba magis

gis, quam alii faciunt, adhibeat argumento idonea, recte inde, arti ſalutari eum operam dediſſe, concluditur.

Suo iam tempore HIERONYMVS eam ob cauſam Lucae maiorem, quam ceteris euangeliſtis, graecae linguae peritiam tribuit, quoniam medicus fuerit. Sic enim in *epiſtola ad Damaſum, tom. III. operum, p. 83. Lucas, qui inter omnes euangeliſtas graeci ſermonis eruditiſſimus, quippe medicus;* et in *comment. in Eſa. cap. VI.* vbi ipſum medicae artis ſcientiſſimum et magis graecas literas ſciuiſſe quam hebraeas affirmat, ideo ſermonem eius tam in euangelio, quam in actibus apoſtolorum comtiorem pronuntiat, et ſecularem redolere eloquentiam ait. Vnde non immerito eum dici poſſe *polyhiſtorem terſum et amoenum*, iudicat DAN. GVIL. MOLLERVS in *diſſertatione de quatuor euangeliſtis, cap. IV. §. VI.* Nec ſine ratione comtum Lucae ſtilum ſtudio eius medico aſſignat HIERONYMVS. Huic enim deditus cum graecos auctores, qui de arte medica praeceperunt, diligenti manu peruolutaret, inde eum ſtilum quoque magis magisque perpoliuiſſe, facile eſt iudicare.

Ex

Ex recentioribus vero pluribus ex ſtilo euangeliſtae noſtri, eum medicum fuiſſe, demonſtrauit IOANNES FREIND, medicus Anglus haud incelebris, in *hiſtoria medicinae a Galeni tempore vsque ad initium ſeculi XVI.* anglice ſcripta, quam latina ciuitate donatam edidit IO. WIGAN Lugduni Batauorum anno MDCCXXXIV. in forma octuplicata. Hic cum *pag.* 134. de medicis, in aliis artibus non minus, quam in ſua, verſatis multumque inde profeſſionem ſuam ornantibus dixiſſet, Lucam etiam euangeliſtam in medium producit. Hunc, quamuis aliquam concedat ipſi helleniſmorum et loquelae Syrae miſturam, quod in homine ortu Syro et ab helleniſtis verosimiliter ad iudaicam religionem conuerſo ferendum eſſe putat, ex graecorum tamen auctorum, dum medicae arti ſtuduerit, lectione ſtilum expoliuiſſe iudicat. Inprimis obſeruat, eum, vbi de morbis aut curationibus eorum ſermo incidat, ideo, quod medicinam profeſſus fuerit, voces adhibuiſſe magis, quam alios, argumento idoneas. Profert, illud vt probet, nonnulla ex euangelio eius loca, eademque cum ceterorum euangeliſtarum locis confert. Primum *cap. V. comm.* 18. paralyſi correptum admodum commode ab euangeliſta Luca παραλελυμενον dici notat, qui a Matthaeo *cap. IX.* 2. et Marco *cap. II.* 3. παραλυτικος dica-

dicatur; quam quidem vocem nusquam apud veteres occurrere ait. Mulierem ſanguinis profluio laborantem ſecundo loco adducit. Eam a diuo Marco *cap. V.* 26. deſcribi dicit quaſi πολλα παθουσαν υπο πολλων ιατρων, και δαπανησασαν τα παρ εαυτης παντα, και μηδεν ωφεληθεισαν, αλλα μαλλον εις το χειρον ελθουσαν: quae omnia diuus Matthaeus *cap. IX.* 20. omiſerit, Lucas autem eadem, alio tamen more, multumque in profeſſionis medicae gratiam, tradiderit, cum pro eo, quod multa a multis medicis paſſa fuerit, et ex curatione deterius ſe habuerit, id ſolum dicat, quod vis morbi medicamentorum potentia maior exſtiterit: ουκ ισχυσεν υπ ουδενος θεραπευθηναι. *cap. VIII.* 43. Porro de nummis a muliere impenſis loquentem Lucam verbo perquam idoneo vti annotat, προσαναλωσασα, cum vox a S. Marco adhibita, nempe δαπανησασα, luxurioſam tantum pecuniae profuſionem proprie ſignificet; quo ſenſu etiam eandem habeat in filii prodigi hiſtoria diuus Lucas *cap. XV.* 14. Ita in eiusdem mulieris tradenda curatione nihil aliud dicere Matthaeum obſeruat, niſi εσωθη; Marcum contra, ad ſimilitudinem locutionis hebraicae, εξηρανθη η πηγη του αιματος: Lucae vero phraſin, vti magis medicam, ita ſimpliciorem quoque et correctiorem eſſe iudicat: εστη η ρυσις του αιματος. A muliere ſan-

ſanguinis profluuio laborante progreditur FREINDIVS ad vocem Lucae, qua in deſcribenda Chriſti morbos multorum ſanantis hiſtoria vſus fuerit, diuerſa ab iſtis, quas Matthaeus et Marcus adhibuerint. Hi ex ipſius mente non tam accurate verſati ſunt, quando ille de aegrotis a ſeruatore ſanatis *cap. XIV.* 36. διεσωθησαν, et hic *cap. VI.* 56. εσωζοντο inquiunt, quam Lucas, qui verbo vtatur, ſanationem peculiariter exprimente: ιατο παντας. *cap. VI.* 19. Ad centurionis famulum curatum inde peruenit, eumque a diuo Luca non ſanatum modo, vti a Matthaeo *cap. VIII.* 13. ſed υγιαινοντα, perfecte valentem, commemorari obſeruat *cap. VII.* 10. quo curatio efficacior ſignificetur. *Cap. V.* 31. Lucas ipſi magis commode voce υγιαινοντες vſus eſt, quam Matthaeus *cap. IX.* 12. et Marcus *cap. II.* 17. voce ισχυοντες, cum homines temperamenti validiſſimi morbis conflictari queant, v. g. capitis dolore, qui medici opem requirant, illi vero, qui bene valeant, hanc non deſiderent. Quando de Petri ſocru agens Lucas *cap. IV.* 38. dicit; ην συνεχομενη πυρετω μεγαλω, hoc ſermone eum vti putat, quo morbum curatu difficiliorem fuiſſe, oſtendat; GALENO enim teſte μεγεθος et σφοδροτητα in morbis eodem ſenſu a medicis vſurpari, hosque interdum febrem μειζονα, interdum σφοδροτερην, quam ante fuerit, di-

cere. Loca demum illa citat, quae apud Lucam euangeliſtam ſolum exſtant, v. g. *cap. IV.* 23. prouerbium: *medice, cura te ipſum*, (quod etiam ſolum Lucam, quippe medicum, habere, vti Matthaeum, publicanum, illud: οι βιαζαι αρπαζουσιν αυτην, *cap. XI.* 12. obſeruauit ALEXANDER MORVS in *notis ad quaedam noui teſtamenti loca, pag.* 86.) et *cap. XXIV.* 39. verba ſeruatoris: *palpate me et videte, quia ſpiritus carnem et oſſa non habet*; inprimis autem hiſtoriam de agone Chriſti, quo ſudor ipſius factus ſit vti guttae ſanguinis decurrentis ad terram, a ceteris euangeliſtis omiſſam, perquam apte vero a Luca, vtpote medico, *cap. XXII.* 44. commemoratam eſſe monet. Tandem illud etiam notatu dignum eſſe ſubiungit, quod Lucas euangeliſta in enarratione miraculorum ſeruatoris, quae ad ſanationem pertinent, diligentior ſuerit atque fuſior, multasque protulerit hiſtorias, quas ceteri tacuerunt, v. g. de reſuſcitato viduae filio in vrbe Nain, *cap. VII.* 11. *ſeqq.* de viatore, a Samaritano, infuſo vulneribus eius oleo vinoque, curato, *cap. X.* 30. *ſeqq.* de muliere, quae ſpiritu infirmitatis per octodecim annos laborauerit, a Ieſu ſanata, *cap. XIII.* 11. *ſeqq.* de homine hydropico, *cap. XIV.* 2. *ſeqq.* de decem illis, qui lepra infecti ad ſanitatem redierint,

cap.

cap. XVII. 12. *ſeqq.* et de aure ſerui pontificis maximi a Chriſto curata. *cap. XXII.* 51.

Haec ſunt, quae diuum Lucam euangeliſtam ſatis fortiter medicum arguere, putat IOANNES FREINDIVS. Et, ſi dicendum quod res eſt, ſecure inde ad artem eius medicam vtique concluditur. Interim neque hoc negari poteſt, nimium paulo partibus ſtuduiſſe FREINDIVM, medicamque Lucae profeſſionem benignius hoc de eo iudicium ipſi extorſiſſe; vti iudicarunt ARMAND DE LA CHAPELLE in *bibliotheque angloiſe, tom. XII. part. II. pag.* 522. et 10. CHRISTOPHORVS COLERVS in *der auserleſenen theologiſchen Bibliotheck, part. XXII. pag.* 874. Vbi e. g. de verbo δαπανᾶν obſeruat DE LA CHAPELLE, non ſemper male ſumi, idque exemplis ex AELIANO atque XENOPHONTE allatis probat. Quod etiam de verbo σωζεσθαι eſt obſeruandum, quo non tam accurate ceteros euangeliſtas in enarranda aegrotorum a ſeruatore ſanatorum hiſtoria vſos fuiſſe FREINDIVS pronuntiat; quod tamen ipſe Lucas de recuperatione valetudinis adhibuit *cap. XVII.* 19. *XXIII.* 35. vt et *Actor. IV.* 9. Idem de nonnullis aliis, quae a Luca euangeliſta, tanquam medico, melius, quam ceteris euangeliſtis, deſcripta autumat, moneri poſſet, imo incautius quaedam fu-

iſſe ab eo prolata, demonſtrari; ſi per temporis anguſtiam ſingula ſub examen vocare licuiſſet. Quamuis autem nimium ita dediſſe arti ſuae eiusque amori FREINDIVM, nec in omnibus, vbi Lucam tanquam medicum a ceteris euangeliſtis differre putauit, rem acu tetigiſſe, concedamus, nihil tamen inde ipſi argumento eiusdemque vi decedit. Accuratior enim euangeliſtae noſtri in deſcribendis morbis eorumque ſanationibus opera, ſelectus in vocibus, quibus vſus eſt ibidem, adhibitus, ceterumque ſcribendi genus, medicorum loquendi rationi propius accedens, eum artis huius fuiſſe peritiſſimum, ſatis ſuperque demonſtrant.

§. XII.

Commemorauimus hactenus argumenta, quibus, diuum Lucam euangeliſtam fuiſſe medicum, probatur, tum a teſtibus id affirmantibus, tum ab ipſo eiusdem ſtilo, idem demonſtrante, deſumta. Haec quamuis aperte ſatis illud confirment, qui-

quibusdam tamen viris doctis contraria potius ſententia placuit, omnisque de arte diui Lucae medica traditio viſa fuit incertiſſima. Cum vero non habuerint ſolidas ac ſufficientes, quas regerere potuerint, rationes, tantum abeſt, vt detrahat aliquid eorum diſſenſus theſeos noſtrae veritati, vt iſta potius, indicata argumentorum eorum leuitate, eo magis confirmetur.

Faciunt quidem illud, quos iam in medium produximus, viri alias longe celeberrimi, qui in citato diui Pauli loco alium, quam euangeliſtam, Lucam volunt ſubintellectum. Hi nimirum, ne ibi illum intelligere cogantur, artem quoque eius medicam in dubium vocant. Quamuis enim SAM. BASNAGIVS concedere videatur, aut potius cogatur, quod prius, quam euangelii miniſterio conſecratus fuerit, medicum Lucas agere potuerit, non tamen ſuo id calculo approbat, potius in ſcriptura cauſas adeſſe exiſtimat, quae Lucam euan-

geliſtam a Luca medico diſtinguere nos iubeant. Praeter illos vero inprimis, nullo Paulini illius dicti habito reſpectu, negarunt, quod medicus fuerit Lucas, IO. HENR. BOECLERVS et GEORGIVS CALIXTVS, duumuiri in hiſtoria alias tam ſacra quam profana verſatiſſimi. Et ille quidem in *hiſtoria* ſua *vniuerſali*, quam ex manuſcripto IOANNES GOTTLIEB MOLLERVS Roſtochii anno MDCXCV. in forma quadripartita edidit, hac de re ita iudicat: *fluxit ex Hieronymo vulgaris illa opinio, Lucam fuiſſe medicum, res tamen eſt incertiſſima.* Simile eſt CALIXTI iudicium in *concordia quatuor euangelicorum ſcriptorum*, *pag.* 4. vbi ſententiam illam ſatis vulgatam, nec tamen ſatis ratam vocat. Nec abnuit celeberrimus olim Lubecenſium praeſul beatus GEORG. HENR. GOETZIVS. Quamuis enim in *diſquiſitione de theologis pſeudo-medicis §. XVII.* ſiue in *meletematibus Annaebergenſibus*, vbi recudi eam curauit, *pag.* 470. in honorem antiquitatis eccleſiaſticae ſtatui poſſe dicat, Lucam euangeliſtam fuiſſe medicum, in *oratione* tamen *de viris doctis, Lucae inſignitis nomine*, in qua Lucas euangeliſta primum locum occupat, ea, quae de medicina ipſius afferuntur in medium, ancipiti eſſe in loco atque certis deſtitui rationibus, iudicat, idque a quamplurimis hucusque probatum eſſe, pronuntiat. Citauit

tauit hanc in rem ibidem *meletemata* ſua *Annaebergenſia*, *loco* nobis iam *citato*; at vero ibi neminem, niſi BOECLERVM ſolum ex negantibus adduxit, vt adeo non videamus, quos per quamplurimos illos intellexerit, quſi, incertum id eſſe, quod de Luca affirmauimus, demonſtrauerint. Ad BOECLERVM autem et CALIXTVM quod attinet, quamuis magni alias aeſtimetur nobis eorum auctoritas, hic tamen nulla videtur eſſe, cum rationes, quae incertum id reddant, plane nullas adduxerint, nec cauſam, cur HIERONYMO fides non ſit in hoc de Luca euangeliſta medico aſſerto habenda, vllam addiderit BOECLERVS.

Negantibus additur etiam beatus THOMAS ITTIGIVS a beato CHRIST. STOCKIO in *claue linguae ſanctae noui teſtamenti*, *pag.* 462. CHRIST. LVDOV. SCHLICHTERO in *ecloga de Luca pictore*, *pag.* 6. *not.**) et IO. CONR. SCHWARTZIO in nuper editis *commentariis graecae linguae*, *pag.* 858. *not.**) quaſi in *ſelectis capitibus hiſtoriae eccleſiaſticae*, *ſec. I. cap. VII. ſect. VII. §. II.* Lucam medicum pariter ac pictorem fuiſſe, negauerit. Sed fugitiuo fortaſſe, quod aiunt, oculo conſuluerunt ITTIGIVM hi viri docti. Refert enim is tantum, locum Paulinum nonnullis perſuaſiſſe, Lucam euangeliſtam fuiſſe artis medicae peritum eandem-

demque exercuiſſe, ipſe autem negat minime, ſed in medio rem relinquit, vti et cel. PETRVS ZORNIVS in *opuſculis ſacris, tom. I. pag.* 335. vbi verba ITTIGII repetit.

§. XIII.

Illis, qui de arte Lucae euangeliſtae medica minus recte ſenſerunt, annumerandus quoque eſt BALTHASAR CORDERIVS, ſocietati Ieſu adſcriptus, qui ea, quae de Luca medico tradiderunt veteres, myſtice interpretatus eſt.

Haud mediocris fuit BALTHASARIS huius CORDERII, viri linguae inprimis graecae peritiſſimi nec in patrum lectione obiter verſati, in catenis graecorum patrum edendis opera. Habemus ab eo *expoſitionem patrum graecorum in pſalmos*, Antwerpiae anno MDCXLIII. euulgatam et in tres tomos diſtinctam, nec non *catenam graecorum patrum in S. Ioannem*, ibidem anno MDCXXX. editam. Idem etiam prodire iuſſit *catenam ſexaginta quinque graecorum patrum in S. Lucam, quae quatuor*

ſimul

ſimul euangeliſtarum introducit explicationem, eodem loco anno MDCXXVIII. de qua, vt et de duabus prioribus, vid. beati THOM. ITTIGII *tractatum de bibliothecis et catenis patrum, cap. VIII. §. IV. V. VI.* et beati IO. ALB. FABRICII *bibliothecam graecam, lib. V. cap. XVII.* ſiue *vol. VII. pag.* 742. *ſeq.* 780. *ſeq. et* 784. *ſeq.* Hic in praefatione, praemiſſa catenae patrum in Lucam, eum myſtice tantum dictum fuiſſe medicum, autumat, rationem reddens hanc, quoniam curandis hominum animis fuerit occupatus. Male vero ſibi conſuluit CORDERIVS myſtica hac ſua explicatione. Numquam enim hoc ſenſu vocabulum medici in rebus hiſtoricis vſurpari, conſtat. Abuti autem videtur iſtis patrum locis, quibus illi medicinam euangeliſtae noſtri ſpiritualem commendarunt, v. g. EVSEBII in *hiſtoria eccleſiaſtica*, *lib. III. cap. IV.* ASTERII, Amaſeae epiſcopi, *ſermone de poenitentia*, in *bibliotheca* PHOTII *cod. CCLXXI. pag.* 1489. vbi vocatur Lucas πλεον των ψυχων, η των σωματων ιατρος. Vti autem veteris eccleſiae doctoribus plus iuſto arridebat myſtica illa et allegorica ſcripturam explicandi ratio, cuius dulcedine ductis nihil ipſis placebat, niſi quod allegorias ſapiebat et ſublimiorem ſapientiam; ita hac in parte ſecutus illos CORDERIVS non potuit non in ſimi-

lem cum illis incurrere cenſuram, qua nimium ingenio ſuo indulſiſſe eum etiam in hac Lucae medici explicatione, iudicarunt eruditi.

§. XIV.

Firmo ergo talo nititur antiqua illa et communis de arte diui Lucae euangeliſtae medica ſententia. Quando autem exinde, quod deditus illi fuerit, colligere nonnulli voluerunt, humilem ipſi contigiſſe naſcendi ſortem, non poſſumus non erroneam hanc eorum coniecturam pronuntiare.

Conſtat, Lucam noſtrum fuiſſe Syrum, Antiochia nimirum, vrbe Syriae percelebri, oriundum. Haec autem Syria cum Romanis multos ſeruos exhibuerit, ac medicina munus fuerit ſeruile, volunt, Lucam quoque inter romana aliquamdiu vixiſſe mancipia, ibidemque artem medicam in ſeruitute ſua exercuiſſe, donec manumiſſus et patriae redditus per omnem vitam arti illi praecla-

re

re et praedicando ſimul euangelio vacauerit. Sententia haec eſt HVGONIS GROTII in *annotatis ad Lucae euangelium, tom. VI. criticorum ſacrorum, pag.* 1152. quam ſuam etiam fecit GVIL. CAVE in *antiquitatibus apoſtolicis, p. m.* 763. Sed falſa eſt, quae hic aſſeritur, hypotheſis. Verum quidem eſt, Syros inprimis ſeruituti natos dici apud veteres, Syrorumque inde frequens ſeruorum fuiſſe nomen. Vid. IOANNES CLERICVS *ad Geneſ. XXXII.* 5. et NIC. ABRAHAMVS *ad Ciceronem, tom. III. edit.* GRAEVII, *part. I. pag.* 593. Inde vero nondum ſequitur, Lucam ex Syria oriundum inter romana aliquamdiu vixiſſe mancipia, quemadmodum in contrarium recte monet PETR. ZORNIVS in *epiſtola, qua: num medici olim ſerui fuerint, necne?* diſquiſiuit, Kilonii anno MDCCX. edita et recuſa in eius *opuſculis ſacris, tom. I. pag.* 335. *ſeq.* Deinde falſum quoque eſt, vti ibidem ille docet, ſolos ſeruos fuiſſe medicos. Quamuis enim olim FRANCISCVS ROBORTELLVS candem defenderit ſententiam, rectiſſime tamen, quod medicina ars fuerit ſeruilis, negaſſe IAC. SPONIVM in *miſcellaneis eruditae antiquitatis, pag.* 144. CELLARIVM in *diſſertatione de originibus et antiquitatibus medicis, cap. VI. §. II.* ISAAC. CASAVBONVM *ad Suetonium,* CAROL. DRELINCOVRT in *apologia medica,* SAM.

PETI-

PETITVM *comment. in leges atticas, p.* 300. et MATTHIAM ZIMMERMANNVM in *florilegio philologico-hiſtorico, pag.* 512. obſeruat ZORNIVS, addens, quotquot Romae medicinam profeſſi fuerint, ingenuos, ſaltem libertos, fuiſſe, in magna apud principes conſtitutos gratia, eorumque conſiliarios amicos dictos, teſtibus ISAAC. CASAVBONO et CLAVD. SALMASIO in *annotationibus ad Aelium Spartianum*, EZECHIELE SPANHEMIO *diſſert. V. de praeſtantia et vſu numiſmatum antiquorum, p.* 44. LAVRENTIO PIGNORIO *de ſeruis et eorum apud veteres miniſteriis, p.* 219. MATTHIA ZIMMERMANNO in *analectis miſcellis menſtruis eruditionis ſacrae et profanae, pag.* 166. IAC. GOTHOFREDO *commentario ad tom. III. codicis Theodoſiani, pag.* 7. IO. SELDENO in *vxore hebraea, lib. II. cap. XVI. pag.* 143. et BERNH. LAMI *comment. in harmon. pag.* 572. Erudite quoque nuper idem, quod non ſeruilis fuerit medicorum, Romae degentium, conditio, docuit RICHARDVS MEAD, medicus Anglus, in *oratione anniuerſaria Harueiana*, qua honores * medicinae recenſuit, et per quos maxime reges aut principes et apud quos

* Honores medicis a variis tributos commemorat IOANNES MICHAEL DILHERRVS in *diſputationibus academicis, tom. II. pag. 68. ſeqq.*

quos populos creuerit ſalutaris artis gloria, demonſtrauit, Londini anno MDCCXXV. impreſſa, cui *diſſertationem* adiecit de *nummis quibusdam a Smyrnaeis in medicorum honorem percuſſis.* Aduerſarium ille ideo nactus eſt CONYERS MIDDLETON, theologiae profeſſorem et academiae Cantabrigienſis protobibliothecarium, qui in diſſertatione *de medicorum apud veteres Romanos degentium conditione*, contra illum et IAC. SPONIVM *ſeruilem eam fuiſſe*, oſtendere voluit, Cantabrigiae anno MDCCXXVI. in forma quadruplicata edita, cuius *diſſertationis contra Anonymos quosdam, notarum breuium, reſponſionis, atque animaduerſionis auctores, defenſionem* idem edidit, cuius *pars prima* prodiit ibidem anno MDCCXXVII. in 4.. Conf. *acta eruditorum pag.* 127. *ſeqq.* et *anno MDCCXXVIII. pag.* 182. *ſeqq.* Praeter illas autem Anonymorum *notas, reſponſiones* atque *animaduerſiones* memoratas, quibus primam defenſionis ſuae diſſertationis partem oppoſuerat MIDDLETONIVS, prodiit etiam ipſa haec *diſſertationis de medicorum Romae degentium conditione ignobili et ſeruili defenſio examinata*, Londini anno MDCCXXVIII. *

Patet

* Conferri etiam hac de quaeſtione poterunt CHRISTOPHORVS WOLLIVS, aut potius, qui ſub eius

Patet autem ex iis, quae adduximus, erraſſe vtique GROTIVM et CAVEVM, nec vllum ab arte Lucae medica ad probandam humilem ipſius naſcendi ſortem peti poſſe argumentum.

§. XV.

Abſolutis, quae ad confirmandam artem euangeliſtae noſtri medicam in medium erant afferenda, reſtat, vt nonnulla adhuc de Luca medico momenta,

---

eius praeſidio reſpondentis munere functus eſt, POLYCARPVS FRIDERICVS SCHACHERVS, in diſſertatione *de honoribus medicorum apud veteres*, Lipſiae anno MDCCXXXII. habita, §. *XXI. ſeqq.* beatus IOANNES HENRICVS SCHVLZE in diſſertatione, quam inſcripſit *excurſionem in antiquitates ad ſerui medici apud Graecos et Romanos conditionem eruendam*, Halae anno MDCCXXXIII. ventilata; DANIEL VINK in *amoenitatibus philologico-medicis, in quibus medicina a ſeruitute liberatur*, Traiecti ad Rhenum anno MDCCXXX. in forma octopartita editis; et IOANNES ANDREAS BOSIVS in exercitatione hiſtorica *de clinicis veteris eccleſiae*, adiecta ipſius *introductioni in notitiam ſcriptorum eccleſiaſticorum*, a IOANNE GEORGIO WALCHIO Ienae anno MDCCXXIII. editae, *pag. 584. ſqq.*

ta, huc pertinentia, ſub finem diſſertationis noſtrae adiiciamus. Sic quaeſitum inter eruditos fuit: num durantibus miniſterii annis artem hancce exercuerit, necne? affirmantibus aliis, aliis negantibus.

Iam obſeruatum ſupra fuit, exſtitiſſe quosdam inter eruditos, qui, Lucam euangeliſtam medicum fuiſſe, negauerint. Fuiſſe vero paucos, nec, quae protulerunt, argumenta tanti, vt negari inde illud iure queat, ſimul euictum dedimus. Nonnulli tamen eorum, qui in dubio totam rem relinquere maluerunt, videntes ſcilicet, quod affirmantium argumenta nimis euidenter communem de Luca medico ſententiam confirment, ita diiudicandam controuerſiam eſſe putarunt, vt, durantibus miniſterii annis medicae artis exercitio abſtinuiſſe euangeliſta diceretur. Praecipuus horum eſt laudatus GEORG. HENR. GOETZIVS in citata *de theologis pſeudo-medicis* diſquiſitione, §. *XVII. p.* 471. *meletematum Annaebergenſium.* Non probabile hic eſſe putat, virum ſanctum, cui dei voluntas exacte fuerit cognita, et varia

ria in ſcribenda hiſtoria ſacra atque praedicando euangelio ſuſtinenda, allotria tractaſſe medicisque ordinariis aegre feciſſe. Hinc cum aliis ipſi videtur, medicum dici Lucam, non quod tunc temporis artem hanc adhuc exercuerit, ſed quod olim eius ſtudio addictus fuerit. In partes HIERONYMVM vocat *ad Coloſſ. IV.* 14. *tom. IX. operam, pag.* 304. ſic commentantem: *euangeliſta ex medico erat, ſicut Matthaeus iam apoſtolus adhuc dicitur publicanus;* et MATTH. POLVM in *ſynopſi criticorum, vol. V. pag.* 898. ex interpretum mente ſcribentem: *ſic eum vocat ab arte, quam olim exercuit, qua etiam inſignem operam fidelibus praeſtitit.* Cum GOETZIO conſentiunt SAM. BASNAGE, de quo ſupra diximus, in *annalibus eccleſiaſticis, tom. I. pag.* 713. *Medicum*, verba eius ſunt, *prius egerit, ſi lubet, quam euangelio miniſtrando conſecraretur. Vbi vero coeleſti legati Ieſu Chriſti dignitate indutus eſt, non a communi quidem, ſed a ſacra potius diſciplina, titulum adipiſci debuit;* et IO. MEELFVHRERVS in *vindiciis euangelicis, decad. VI. diſp. II.* §. *XCV. pag.* 47. *Lucas ſane appellatur medicus. Quod autem durante ſuo miniſterio artem medicam exercuerit, nullibi expreſſe legitur: aut ſi exercuit, eandem rationem habuit cum Paulo, illis temporibus neceſſitate*

ita

ita ſuadente, ne curſui euangelii impedimentum obiiceretur, quando aerarıa et ſtipendia pro miniſtris verbi nondum erant conſtituta. Affirmatiuam contra ſententiam defendit MICH. BOVDEWYN, medicus Batauus, in *ventilabro medico-theologico*, Antwerpiae anno MDCLXVI. in 4. edito, *pag.* 267. Noſtro quidem, ſi quid eſt, iudicio nec affirmari tuto, nec negari poterit haecce quaeſtio, cum neque exercuiſſe artem priorem Lucam, iam euangeliſtam, tradant veterum monumenta, nec etiam nuntium eum illi miſiſſe, eadem perhibeant. Dolemus, non licuiſſe nobis argumenta cognoſcere BOVDEWYNI, quibus ille, Lucam arti medicae durantibus miniſterii annis operam dediſſe, demonſtrare voluit, cum liber iſte perrarus haud ad manus nobis fuerit. In medio ergo totam rem relinquimus. Id ſaltem monemus, ex iis, quae adduxit beatus GOETZIVS, argumentis nondum, quod exercitio artis illius abſtinuerit euangeliſta, ſequi. Vtrumque potuit ab eo fieri, ita quidem, vt praedicatio euangelii eiusque conſignatio et hiſtorica de apoſtolorum actis relatio ἐργον fuerit ipſius atque opus primarium, ars vero medica παρεργον, vti rem conciliant MICH. WALTHERVS in *harmonia biblica, ad Col. IV.* 14. et 10. ANDR. QVENSTEDIVS in *diſputationibus*

exegeticis in epiſtolam ad Coloſſenſes, diſp. VIII. §. XXX. Nec inde, allotria tractaſſe Lucam, concludere cum GOETZIO licebit, cum nec Paulum eiusdem quis vmquam arguerit, qui ipſe euangelii praeconem agens artem tamen σκηνοποιίας exercebat. *Actor. XVIII.* 3. Neque medicis ordinariis aegre feciſſe euangeliſtam, vti loqui amat GOETZIVS, dicendum erit, quando arte ſua aliis opitulatus fuit; cum probandum illi antea fuiſſet, exſtitiſſe iam tunc temporis inter chriſtianos certos medicorum ordines, qui, vt hodie more receptum eſt, iſti arti ſolos ſe ac totos dicauerint. Nec inſuetum olim fuit, vt theologi ſimul medicinae operam darent.* Docent id quamplurimis exemplis THOM. BARTHOLINVS in *commentario medico et philologico de paralyticis noui teſtamenti*, Lipſiae anno MDCLXXXV. in 8. tertium recuſo, *pag.* 57. ANDR. TIRAQVELLVS *libro de nobilitate, cap. XXXI. pag.* 262. et beatus VRB. GODOFR. SIBERVS noſter *in vita ſancti Spyridionis, epiſcopi Trimithuntini*, Lipſiae anno MDCCXVIII. in forma quadruplicata edita, *cap. II.* §. *XIII. pag.* 38. qui,

* De theologia et medicinae nexu egit praeter alios MICHAEL ALBERTI in praefatione *ſpecimini medicinae theologicae* praemiſſa, quam *de Luca Medico* inſcripſit.

qui, nonnumquam adeo arte ſalutari aditum ſibi apud reges et purpuratos ſternere ſolitos fuiſſe ſacerdotes, obſeruat, cum per ſimplicitatem illi aliquid diuinitatis * ſubeſſe rati, tanto citius paulo poſt ea receperint, quae animum integritati reddere valent. Patres, qui ſtudio medico olim prae ceteris diſciplinis fauerunt, recenſet ELIAS VEIELIVS in *diſſertatione epiſtolica de ſumma dignitate et praeſtantia ſtudii medici iuxta mentem ductumque SS. graecorum et latinorum patrum, ad* IO. CASP. BEVTELIVM Vlmae anno MDCXCII. data, *pag.* 20. Inprimis vero obſeruandum hic eſt, prima eccleſiae chriſtianae aetate pro temporum iſtorum ratione clericos quoque alias artes addiſcere ſolitos fuiſſe, quo, cum aeraria et ſtipendia verbi diuini miniſtris conſtituta nondum eſſent. Conf. *Actor. XX.* 34. 1. *Cor. IX.* 12. 2. *Theſſ. III.* 8.** Imo idem iniunctum illis fuiſſe, ex variis canonibus manifeſtum eſt, de quibus vid. IOANNES MABILLONIVS *de ſtudiis monaſticis,*

* *Medicos ab eccleſia pro ſanctis habitos* ſingulari diſſertatione, Lipſiae anno MDCCIX. ventilata, recenſuit CHRISTIANVS BENEDICTVS CARPZOVIVS.

** *De veterum conſuetudine, literarum ſtudiis opificia iungendi*, ſingularem diſſertationem Wittebergae anno MDCXCVI habuit CHRISTIANVS WILHELMVS LOESCHERVS.

ſticis, lib. I. cap. XIV. Ita Lucam ſui ſuſtentandi cauſa poſtea etiam artem medicam exercuiſſe, affirmari poterit, nec tamen inde aliquid characteri ipſius euangeliſtae detrahetur. Vide ſis FRIDER. BALDVINVM *comment. ad Col. IV.* 14. IO. GERHARDVM *loco de miniſtro eccleſiae, §. CCXCII.* IO. ADAM. OSIANDRVM in *theologia caſuali, part. V. cap. II. pag.* 554. et THOM. BARTHOLINVM *l. c.* Aliam rationem ex beato HVNNIO reddit SEBAST. SCHMIDIVS in *comment. ad Col. IV.* 14. quare adhucdum medicum fuiſſe Lucam, Romaeque medicinam exercuiſſe, credibile ſit, vt gratior nimirum Romanis eſſet, et conciliandi Paulo gratiam occaſionem haberet. GOETZIVS quidem cur tam acriter id oppugnauerit, facile eſt videre. Animus ipſi fuit in laudata diſquiſitione, quod theologis lucri cauſa artem exercere medicam non liceat, demonſtrare. Solidis quoque illud atque firmis argumentis confirmauit. Cum vero ad rationes, quae in contrarium afferri ſolent, examinandas atque diluendas peruenisſet, ex MARTINI SCHOOCKII *variis animaduerſionibus* depromſit illas atque refutauit. Oppoſuerat hic inter alia REINESIO exempla eorum, qui ſacris deſtinati negotiis medicinam profeſſi fuerint, et Lucam quoque his euangeliſtam iunxerat. Hinc, quo deeſſet huic SCHOOCKII argu-

argumento robur, omnem mouit lapidem beatus GOETZIVS, vt veterem de Luca medico ſententiam, vnanimi conſenſu primis temporibus approbatam, in dubium vocaret, aut ſaltem, Lucam durantibus miniſterii annis abſtinuiſſe artis huius exercitio, demonſtraret. Sed non opus habuiſſet vir doctiſſimus tanto id conatu agere. Minime enim, ſi vel maxime medicum egit Lucas, euangeliſtae munere fungens, exinde, idem hodienum licere eccleſiae miniſtris, ſequitur, cum alia ratione honeſte poſſint illi ſuſtentari, nec artibus vti aliis adſcititiis neceſſe habeant; ſicuti communi hoc ſtudio improbarunt noſtrates theologi. Vid. FRID. BALDVINVS in *commentario ad Col. IV.* 14. nec non MICH. WALTHERVS in *harmonia biblica ad eundem locum*, et *in centuria miſcellaneorum theologicorum*, *pag.* 277.

§. XVI.

Quae vero praecipuorum in hiſtoria ſacra capitum fuere fata, vt circa illa miracula vbiuis deprehenderit fabellasque finxerit nimia hominum, ſuperſtitio-

ſtitioni litantium, erga ſacra reuerentia: eadem quoque Lucae medici experiri debuit hiſtoria, hinc inde effectus ſupernaturales reliquiis eius affingentibus credulis iſtorum temporum ingeniis.

De reliquiis euangeliſtae Lucae, ſumma veneratione a religioſa antiquitate exceptis, iam non dicemus, alia fortaſſe occaſione id vna cum ceteris vitae ipſius circumſtantiis vlterius explicaturi. Saltem ea, quae a diuo Luca, tanquam medico, profecta venerata ſuit ſuperiorum temporum ſuperſtitio, paucis commemorabimus. Αλατιον aliquod finxerunt illi, quod auctorem agnoſcat euangeliſtam. Mirandam tribuerunt huic efficaciam omnes curandi morbos, inprimis oculorum reſtituendi aciem, viſumque ad ſenectutem vsque conſeruandi. Monachos inde Aegyptios vti illo ad ſatietatem vsque nugati ſunt, quo lectionibus vacare ſemper queant. Praeſertim autem calligraphis inſeruire illud, diligenter ideo vtentibus iſto, tradiderunt. Mentionem huius αλατιου fecerunt BERNHARDVS DE MONTFAVCON in *palaeo-*

laeographia graeca, pag. 37. et CAROLVS DV FRESNE in *appendice ad gloſſarium mediae et infimae graecitatis, p.* 90. qui in codice regio Pariſino MMMCCCCXCVII. fol. 156. deſcribi aiunt αλατιον του αγιου αποστολου και ευαγγελιστου Λουκα, δωδεκαθεον ονομαζομενον, ωφελουν εις παντα παθη, εξαιρετως την αμβλυωπιαν, ω και οι καλλιγραφοι χρωνται, i. e. *alatium ſ. medicamentum ex ſale confectum S. apoſtoli et euangeliſtae Lucae, dodecatheon dictum, omnibus morbis curandis vtile, praeſertim oculorum reſtituendae aciei, quo etiam calligraphi vtuntur.* Notat ibidem MONTFAVCONIVS, vocem δωδεκαθεον, *duodecim deorum*, qua medicamentum illud antiquitus inſignitum fuerit, ex gentilium ſuperſtitione manaſſe, qui duodecim deos, aliorum primipilares, enumerabant, his duobus verſibus enunciatos:

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana,
Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Magnifico autem του δωδεκαθεου nomine remedii vis atque praeſtantia declaratur. Meminit etiam PETRVS LAMBECIVS *commentar. de bibliotheca Vindobonenſi, tom. VI. pag.* 107. codicis manuſcripti, in quo in-

ter alia anonymi cuiusdam auctoris opus tripartitum graeco-barbarum contineatur, cuius inprimis notabile ſit *cap. XCVI. de compoſitione* του αλατιου Λουκα του αγιου ευαγγελιστου, h. e. embammatis ſalſi ſiue ſalſi intinctus (qualis ab Italis ſimpliciter vocatur *ſalſa*, et a Gallis *ſauſſe*) S. Lucae euangeliſtae, profeſſione medici; cuius quidem embammatis vtilitatem et efficaciam magnam ac multiplicem ibi praedicari ait ad conſeruandam ſanitatem et prolongandam vitam, ſi quis pie viuat et cibos in illud quotidie intingat. Effectibus his miraculoſis, quos a credula antiquitate tributos eſſe ſali huic Lucae euangeliſtae, narrant laudati viri docti, alios adhuc addit NIC. MYREPSVS, Alexandrinus, in *libro de compoſitione medicamentorum, ſect. II.* quae *de ſalibus* agit, *c. XVI.* vbi in deſcribendo illo apprime diligens eſt. Praeter vim enim viſum ad ſenectutem vsque conſeruandi tribuit ipſi quoque virtutem hanc, quod non permittat tuſſim fieri et ſpirandi difficultatem, nec pituitam in thorace fieri ſinat, neque lippitudinem, nec dentium dolorem, vellicationem item ſedet, et pedum dolorem fieri prohibeat. Hi ſunt eximii iſti effectus, quibus gaudere ſal hocce ſiue αλατιον, a Luca euangeliſta compoſitum, tradiderunt veteres. Quis vero non videt, ſua-

ſuauia haec eſſe ſomnia illorum temporum, quibus credulitate, cum ſuperſtitione plerumque iuncta, ducti homines, quibusuis ſtatim fidem habuerunt narratiunculis, easque in literas retulerunt ſedulo, propagandas ita ad poſteros et aliorum ſubinde mendaciorum acceſſione mirum in modum augendas. Quorum quidem commentorum vti nulla expers eſt pars hiſtoriae eccleſiaſticae, ita in vitis ſanctorum largiſſima cumprimis ſeges effloreſcit. Hinc miracula iſta, aut potius miraculorum monſtra, vt ipſemet MELCHIOR CANVS vocat in opere *de locis theologicis, lib. VI. cap. XI. pag.* 231. vt labor fere herculeus fuerit illorum, qui in emendanda hiſtoria eccleſiaſtica fabulisque ac inanibus figmentis inde proſcribendis laudabilem operam poſuerunt, et ab iis Augiae hocce ſtabulum ſumſerunt ſibi repurgandum. Quare mirum non eſt, tale quid diuo etiam Lucae accidiſſe, quem cum medicum fuiſſe, conſtaret inter veteres, commodam nanciſcebantur occaſionem fabularum iſtorum temporum promicondi noua comminiſcendi miracula, ab eiusdem medicina arceſſenda.

Nec ſatis his fabularum fuit, quod medicamenta fingerent a diuo Luca medico

profecta; neceſſe quoque erat, miracula excogitari, quae poſt mortem ſancti huius viri omnes docerent religioſae antiquitatis cultores, quod medicus fuerit diuus hicce euangeliſta. Eiusmodi furfuris ſunt, quae de vnguento medicinali, in loco, vbi ſepultus fuerit S. Lucas, reperto narrantur. Tradunt nimirum, diuum Lucam euangeliſtam ſub imperio Neronis oleae frugiferae ſuffixum fuiſſe, cum ad parandam crucem nullum iis in locis lignum aridum fuerit repertum; corpus eius ſublatum deinde a quodam et inter multa alia ſepulchra reconditum, atque effectum ita eſſe, vt in obſcuro eius ſepulturae locus eſſet; cum vero poſtea diſcipuli eum requiſiuerint ac propter ſepulchrorum multitudinem deprehendere non potuerint, precibus a deo impetraſſe illos, vt ea nocte collyria medica ſuper eius tumulum depluerint, tanquam nota artis, quam exercuerit viuus euangeliſta, atque hoc quidem modo eius innotuiſſe ſepulchrum. Ita rem narrant MICH. GLYCAS, Siculus, in *annalibus a mundi exordio vsque ad obitum Alexii Commeni, imperatoris, part. III. pag.* 237. et GEORG. CEDRENVS in *compendio hiſtoriarum. p.* 212. Quemadmodum vero non magna eſt horum ſcriptorum inter hiſtoricos auctoritas, quippe quos fabulis ſubinde et commen-

mentis indulſiſſe conſtat, ita haec quoque eorum, quam recenſuimus, narratio non maiorem fidem meretur, quam quae traditioni de αλατιω Lucae tribuitur. Vtrumque enim cum nimium redoleat illa, quibus ſola fingendi relicta erat gloria, tempora, merito reiicitur.

§ XVII.

Idem de commercio, quod cum medicorum illo principe, CLAVDIO GALENO, Pergameno, interceſſiſſe diuo Lucae euangeliſtae aiunt, iudicandum eſt: nec enim meliori fundamento traditio iſta nititur.

Inſignem fuiſſe veterum in fingendis de medicina Lucae miraculis ac praeternaturalibus ipſi tribuendis effectibus diligentiam, ante indicauimus. Alia iam eſt eiusdem generis commemoranda nobis traditio. Ex CASTELLO refert IO. REISKIVS in *exercitationibus hiſtoricis de imaginibus Ieſu Chriſti, exerc. V. cap. II. §. IV.* fuiſſe, qui GALENI Pergameni diſcipulum; alios, qui eiusdem neceſſarium habuerint Lucam euan-

angeliſtam, huncque illo comite iter Hieroſolymas feciſſe, vt Chriſtum mediçum ſine remediis vſurpatis celeberrimum cognoſceret, ſocioque in via defuncto diſcipulis ſeptuaginta nomen ſuum adſcripſiſſe, voluerint. Commercium quoque literarium interceſſiſſe euangeliſtae cum GALENO, nonnulli tradiderunt, vti in bibliotheca RENATI MOREAV fuit *epiſtola Lucae ad Claudium Galenum*, quemadmodum ex LABBEI *bibliotheca noua manuſcriptorum, pag.* 217. refert beatus IO. ALB. FABRICIVS in *bibliotheca graeca, lib. IV. cap. V. pag.* 133. *not. k*) Statim vero, non minus confictam fuiſſe hanc epiſtolam, addit laudandus numquam ſatis FABRICIVS, quam imagines, quas a Luca pictas nonnulli commenti ſunt. Nec maioris ponderis erit, quod de coniunctione vel affinitate Lucae cum GALENO, teſte CASTELLO, alii tradiderunt. Caret enim illud quoque ſcriptorum fide dignorum teſtimoniis, quod, ſi verum fuiſſet, non ſane tacuiſſent iſti, qui hiſtoriam diui Lucae diligenter ſatis concinnarunt.

§. XVIII.

Habent ergo, de quo glorientur, in diuo Luca euangeliſta artis

tis medicae cultores. Quodſi vero patronum ideo adoptare eum vellent, aeque foret id ſuperſtitioſum, ac reliqua, quorum nonnulla commemorauimus, reprehendendae eiusmodi reuerentiae genera.

Solemne fere omnium eſſe ſolet artium cultoribus, vt magni faciant multumque arti ſuae accedere honoris exiſtiment, ſi viros vel illuſtri loco natos, vel alia ratione prae ceteris magnos illius amore flagrantes, eique operam nauantes oſtentare queant. Sic eruditi inſignem artium liberalium duxerunt eſſe gloriam, quando principes illis delectatos nec obiter in iisdem verſatos producere in medium potuerunt. Natae hinc ſingulae virorum doctorum lucubrationes, quibus vel *principes graece et hebraice doctos*, vti GEORG. HENR. GOETZIVS; vel *concionatores et commentatores biblicos*, vt idem GOETZIVS; vel *oratores*, vt IVST. CHRISTOPHORVS BOEHMERVS et HERM. BECKERVS; vel *hiſtoricos*, vt IO. CASP. LOESCHERVS; vel *muſicos*, vt IO. HENR. A SEELEN; vel *ſcriptis claros*, vt ſumme venerandus VAL. ERN. LOESCHERVS et CHRI-

CHRISTOPH. SIGISM. GAMMERSFELDERVS praedicarunt. Quidni ergo medici quoque honori ſibi ducerent, euangeliſtam Lucam ex ipſorum ordine fuiſſe, eidemque arti nomen ſuum dediſſe? Interim nimia tamen iudicanda eorum erga diuum Lucam reuerentia, quando patronum ſibi adoptarunt, ſicuti refert THOM. BARTHOLINVS in *commentario de paralyticis noui teſtamenti*, *p. m.* 57. Superſtitionem enim illud cum redoleat, non poſſumus non atro hunc ab ipſis tributum diuo euangeliſtae honorem notare lapillo.

MANTISSA POSTERIOR

EXHIBENS
DE
PHILOSOPHIAE PLATONICO-PYTHAGOREAE
FRAVDIBVS
SEV
PLACITIS ERRONEIS
A PAVLO ATQVE PETRO
1. TIM. I. 4. IV. 7. 2. TIM. IV. 1. 2. 3. 4.
TIT. I. 13. 14. 2. PETR. I. 16.
IMPROBATIS AC VITARI IVSSIS

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
INAVGVRALEM

PRO
OBTINENDIS SVMMIS IN THEOLOGIA
HONORIBVS IVRIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS
DIE XXV. NOVEMBRIS A. O. R. MDCCXLIV.
IN
ACADEMIA RINTELIENSI
PRAESIDE
IO. ENGELHARDO STEVBERO
S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQVE PRIMAR. ET ANTIQVIT. HEBR.
ORDIN. PROF. AVGVSTISSIMO SVECORVM REGI ET HASSIAE
LANDGRAVIO A CONSILIIS ECCLESIASTICIS ET
COMITATVS SCHAVMBVRGICI
SVPERINTENDENTE
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
EXPOSITAM

DENVO IAM RECOGNITAM.

§. I.

Licet, quod et rei conditio demonſtrat, et ipſa experientia teſtatur, in addiſcendis et diiudicandis aeque ac defendendis ſanctioribus diſciplinis vſum prorſus egregium praeſtet philoſophia ſobria, nec niſi bene coeleſti doctrinae eſſe poſſit, ſane ſi colatur iſta: dolendum tamen omniumque ferme ſeculorum exemplis comprobatum eſt, variis erroribus contaminari illam, ſi plurium ferat plauſus et ad forum ſacrum applicetur philoſophia grauiſſimis erroribus redundans. Nolo hic repetere, quae de philoſophiae in theologia abuſu tam docte quam prudenter monuerunt theologi grauiſſimi, quorum nonnulli allegantur in ſumme venerandi CHRISTOPHORI MATTHAEI PFAFFII *introductione in hiſtoriam theologiae literariam, lib. III. §. I. not. XXIV.* editionis ſecundae auctioris. Sufficiat his iungendos commendare duumuiros noſtri aeui celeberrimos, CHRISTIANVM GOTTLIEB IOECHERVM in eruditiſſimo tractatu, quem *philoſophia haereſium obex* inſcriptum Lipſiae anno MDCCXXXII. in quadripartita forma edidit, *pag.* 23. *ſeq.* et CHRI-

STOPHORVM HENRICVM ZEIBICHIVM in doctiſſima diſſertatione, qua Wittebergae anno huius ſeculi XLI. habita *per philoſophiam συλαγωγουντας omni tempore obſeruandos* exhibuit, *theſ. I. ſeq.* ex quibus, quam variae haereſes ex infauſto philoſophiae in foro theologico abuſu ſeu incauta illius ad hoc applicatione ortum traxerint, cuilibet patebit.

§. II.

Interim ſi vlla fuit accuſanda hocce nomine philoſophorum ſecta, Platonico-Pythagorea ſane prae ceteris in cenſum venit; primis coetus chriſtiani doctoribus non ſolum iſti operam inprimis, at inconſiderate, dantibus, ſed haereſiarchis quoque variis multifaria hinc inde errorum monſtra non minus ac portentoſas loquendi formulas introducentibus, placita illius cum doctrina chriſtiana imprudentius coniungendo. Conferantur, qui id pluribus dederunt demonſtratum, EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS in *dem hermetiſch-platoniſchen Chriſtenthum, part. I. cap. I. §. XI. ſeqq. p. 47. ſeqq.* FRIDERICVS CHRISTIANVS BVCHERVS in *Platone myſtico in pietiſta rediuiuo,* Gedani anno MDCXCIX. in quadruplicata forma euulgato, IO. FRANCISCVS

SCVS BVDDEVS in *ιαγωγε hiſtorico-theologica, lib. II. cap. III. §. V. p. m. 552. ſeqq.* CHRISTIANVS KORTHOLTVS, Göttingenſis hodie academiae theologus celeberrimus, in diſſertatione *de philoſophia orientali primis poſt Chriſtum natum ſeculis eccleſiam chriſtianam turbante*, Lipſiae olim anno MDCCXXXIII. ventilata, nec non laudatus IOECHERVS *loc. cit. pag. 5. ſeqq.* et reuerendus IACOBVS BRVCKERVS in *hiſtoria critica philoſophiae, tom. III. pag. 328. ſeqq.*

§. III.

Haud leue ergo damnum cum ex philoſophiae huius ſeu patronorum eius placitis erroneis contraxerit doctrina chriſtiana, mirum non eſt, repetita vice contra illa quod praemunire ſuos ſtuduerint ac ab iſtis cauere ſibi eos iuſſerint in ſcriptis ſuis ſancti Dei viri, Apoſtoli. Inter quae quidem monita ſaluberrima locum haud poſtremum tenent, quae a diuo Paulo pariter ac Petro leguntur inculcata 1. Timoth. I. 4. IV. 7. 2. Timoth. IV. 1. 2. 3. 4. Tit. I. 13. 14. 2. Petr. I. 16. emphatice ſatis, quam periculoſae ſint habendae dictae fraudes, docentia. Incidi autem in contemplanda haecce loca, cum ſuperiori anno * in primo volumine *der*

* MDCCXLIII.

Hamburgiſchen vermiſchten Bibliotheck, eiusdemque *faſcic. II. pag.* 304. circa poſteriorem locum eruditorum cogitata ſciſcitaretur celeberrimus iſtius editor, IO. PETRVS KOHLIVS; ſumme reuerendus autem ac meritiſſimus Tremonienſium theologus IO. DANIEL KLVGE ſingulari diſſertatione, menſe huius * anni Maio *de fabulis argutis* ibi habita, diui Petri verba curatius expenderet. In quorum explicatione cum differant a ſe inuicem duumuiri hi doctiſſimi, ceu tum ex citato *bibliothecae permixtae* loco, tum ex relationibus eruditis Kohlianis, *den Hamburgiſchen Berichten von gelehrten Sachen*, praeſentis MDCCXLIV. anni, *pag.* 286. *ſeqq.* (vbi recenſita legitur diſſertationis Klugianae ſumma) apparet, vtrique vero ſententiae nec ante viros iſtos celebratiſſimos defuerint patroni, in ſummi quondam IO. CHRISTOPHORI WOLFII *curis philologicis et criticis*, *vol. IV. p.* 189. *ſeqq.* indicati: optima mihi viſa fuit rem diiudicandi ratio, ſi cum locis Pauli allegatis, tanquam vere parallelis, conferatur Petri diui effatum, mensque vtriusque apoſtoli ſic eruatur facilius, altero alterum optime explicante, ſecum inuicem collato, loco.

§. IV.

* MDCCXLIV.

§. IV.

In ſingulis iſtis locis quae improbantur et caueri iubentur a Paulo, quasque ſe minus ſectatum eſſe Petrus fatetur, *fabulae* dicuntur; per quas quid intelligendum ſit, prima merito cura interpretum fuit, varie circa determinandas iſtas ſentientium, quorum diuerſae opiniones legi poſſunt in citatis WOLFII beati *curis*, ad loca ſuperiori paragrapho allegata. Quicquid vero eius ſit, facile apparet, vbique eiusmodi innui traditiones atque dogmata, quae, tanquam media ſeu viam ad vnionem cum ſupremo Numine perueniendi, ex rationis lumine ſeu ſublimiori philoſophia petita; iactabant apoſtolis ſe opponentes philoſophi gentiles eorumque aſſeclae, hasque nugas ſuas myſticas excellentiores multo eſſe ac ſapientia antecellere volebant verbo per apoſtolos praedicato. Tam infeſta rei ſacrae ac doctrinae chriſtianae placita, ſeu ſomnia potius, merito fugienda Timotheo commendabat Paulus, vtque alios pariter ab iis cauere ſibi iuberet, volebat. Haec Petrus quoque vt fuerit ſectatus tantum abeſſe ſcribit, vt verbo potius prophetico, a paganorum ſapientioribus contemto, vnice adhaeſiſſe ſeſe ſignificet.

§. V.

Aſſerti noſtri veritas vt eo clarius pateat, ſingula Pauli Petrique loca breuibus conſiderabimus, et, de philoſophiae Platonico-Pythagoreae fraudibus ſermonem ibi eſſe, facile deprehendemus. In primo illorum, circa quae verſamur, loco 1. Timoth. I. 4. de fabulis iſtis ita Paulus loquitur, vt magnum Epheſiis metuendum fuiſſe periculum, ne decipiantur iſtis, ſignificet. Nec praeter rationem ſane affirmare id apoſtolum, fatebimur, conſiderare tantum ſi velimus, Epheſi inprimis magno in pretio fuiſſe habitam Pythagorae philoſophiam, cui quippe vrbi ſuas natales Pythagoram aeque ac philoſophiam debere contendebant Epheſii. Vid. CHRYSOSTOMI *praefatio in epiſtolam ad Epheſios.* Quare multas quoque curioſas artes exercuiſſe vrbis huius incolas, legimus Actor. XIX. 19. circa quas pariter occupata, ſaepius erat philoſophia iſta. Nonne ergo, vt praemuniret contra nugas tales, doctrinae ſacrae e diametro oppoſitas eandemque hoſtiliter infeſtantes, ſuos Timotheus, monere eum neceſſe apoſtolus habebat? Vtique.

§. VI.

Sed et *genealogiarum* mentionem facit, easque cum fabulis praedictis eodem loco col-

collocat; per quas quid intelligat Paulus, non consentire secum video interpretes. Meum iam non est, diuersas hic commemorare veterum pariter ac recentiorum ecclesiae doctorum sententias, praecipue cum otium mihi fecerit IO. MICHAEL LANGIVS in commentario theologico *de genealogiis numquam finiendis et fabulis Iudaicis, quarum Paulus passim meminit*, Norimbergae anno MDCXCVI. in 4. edito, potiores quoque recensuerit beatus WOLFIVS in *curis* suis *ad h. l.* ipse genealogias a Iudaeis, quo tribuum familiarumque gentis suae nexum in promtu haberent, adamatas; cum ERASMO SCHMIDIO, IO. CONRADO DIETERICO, ABRAHAMO CALOVIO, IO. BRAVNIO, IO. LIGHTFOOTO, MELCH. LEIDEKKERO, RICHARDO SIMONE et auctore obseruationis Halensis ibi citatae, innui hic existimans, ad obiectionem etiam GVNDLINGII, explicationi isti oppositam, respondens. Quam tamen in sententiam vt pedibus ego eam, impetrare nondum a me potui, cum vtique videatur contextus edocere nos, diuum apostolum sequens illud: *μηδε προσεχειν μυθοις και γενεαλογιαις απεραντοις*, eo adiecisse sensu, vt aliquid saniori doctrinae in et per se aduersum significetur. Cum enim cetera, ab ipso commemorata, tanquam aduersa puriori doctrinae adducantur et tanquam

cauenda Timotheo proponantur, cur non et eadem ratione hae genealogiae? Adeo abominandum quoque non fuiſſe illud genealogias ſcrutandi ſtudium, cenſet reuerendus GEORGIVS LVDOV. OEDERVS in *der neuen vnd gründlichen Erleuterung ſchwerer Stellen heiliger Schrift, tom. I. pag. 255. ſeq.* Minus ergo, ſi fatendum quod res eſt, commode intelligi hic poſſe videntur genealogiae eiusmodi hiſtoricae, ſed ipſam potius religionem ingredientes et magnorum inſtar myſteriorum celebratae. Hae vero quales? Haud iniuſte forte cum TERTVLLIANO *lib. de praeſcriptionibus aduerſus haereticos, cap. XXXIII.* ad Valentinianorum haereſin applicare licebit apoſtoli effatum. De illis namque nemo neſcit, quod varios in Deo eſſe et ex eo emanare infinitos aeones, tota quibus conſtet rerum vniuerſitas, docuerint, diuerſasque inde excitauerint omni vſu deſtitutas quaeſtiones atque controuerſias. Quae quidem ſomnia ex Gnoſticorum et Simonis magi * diſcipulorum, Apoſtolorum tempore talia iam diſſeminantium, ſchola acceperant vani hi haeretici. Vid. EHREGOTT DAN. COLBER-

* Hunc ſpiritibus et angelis, quaſi eorum naturam perſpectam probe habuiſſet, certa adeo tribuere nomina conatum fuiſſe, EPIPHANIVS refert *haereſ. XXXI. num. IV.*

BERGIVS *loco* ſupra *allegato, cap. IV. §. II.* et IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS in diſſertatione *de haereſi Valentiniana*, quae ad calcem *introductionis* eius *ad hiſtoriam philoſophiae Hebraeorum* legitur, §. *V. ſeqq.* nec non venerandus IO. GEORGIVS WALCHIVS in *hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti, ſecul. II. cap. IV. §. X.* Vnde vero nugas hasce Valentinus, niſi ex Heſiodo atque Platone? cuius inprimis admirator erat, quare excellentem eum Platonicum nominauit MARTINVS CHEMNITIVS *part. I. locorum theologicorum, cap. IV. de creatione, pag.* 109. Conferatur RENATVS MASSVETVS in *diſſertationibus praeuiis in Irenaeum, diſſert. I. §. XXI.* Turgidos autem fuiſſe has ob nugas, quas ſingularem ſapientiam ſpirare autumabant, dictos haereticos, quis mirabitur? cum, ſi poſſunt pro argutis haberi, quae ſunt abſtruſa imo obſcuriſſima vixque cuiquam cognitu facilia, vtique hoc nomine laudari ſeu prudentiora ſalutari mereantur iſta dogmata. Sed nec ſanus vllus habebit eo loco iſta. Cauſam ergo non vnam Paulo fuiſſe patet, nugas tales cur vitare iuſſerit Timotheum. Videatur, qui noſtrae huic interpretationi adſtipulatur, OEDERVS *loc. cit.*

§. VII.

Quas altero loco nimirum cap. IV. comm. 7. commemorat apoſtolus, *fabulas profanas ac aniles* dicit, id eſt, abſurdiſſimas, illis ſimillimas, quas temporis fallendi ergo infantulis narrare forte ſolent vetulae, omnique proinde fide deſtitutas. Haec namque vocis γραωδεις eſt ſignificatio, quam per *altvetteliſch* expreſſit beatus LVTHERVS. Βεβηλους eas vocat, in quibus nihil nimirum deprehendatur veritatis euangelicae, ſed figmenta tantum vana. Vid. FRID. CHRISTOPH. NEVBOVR in *bibliotheca Bremenſi, claſſ. I. faſcic. III. p. m.* 205. et *claſſ. II. faſc. I. pag.* 87. nec non IO. HENRICVS A SEELEN in *meditationibus exegeticis, part. III. pag.* 781. *ſeq.* Quare fidei et bonae doctrinae, quibus innutritus Timotheus erat, easdem opponit Paulus, talesque ſignificat, quae e diametro doctrinae ſuae ſint oppoſitae. De Iudaicis fabulis cabbaliſticis iterum cum BRAVNIO, VITRINGA atque SCHOETTGENIO haec accipit beatus WOLFIVS in *curis* ſuis *ad h. l.* Ad gentilium contra nugas reſpici cenſent NEVBOVR *loc. cit.* poſteriori et PETRVS ZORNIVS in *bibliotheca antiquario - exegetica, tom. I. pag.* 468. Quando autem cum exercitatione corporali, qua pariter abſtinere potiusque προς ευσεβειαν γυμνα-

γυμναζειν Timotheum iubet, coniungit iſtas fabulas apoſtolus, ſequi exinde puto, quod circa eiusmodi exercitia corporalia occupatae fuerint hae fabulae, quibus capi facile Timotheus potuiſſet. At vero quaenam haec? Non ſane indecora, quibus vacare in gymnaſiis ſuis Graeci ſolebant. Ab his namque vt dehortaretur Timotheum, virum entheum magnumque eccleſiae doctorem, opus Paulus non habuit. Neque athletica; quamuis cum SCVLTETO, GROTIO, SVICERO, MAIO et NEVBOVRIO (dubio tamen) opinetur ita WOLFIVS *loc. cit. pag.* 462. Videtur enim hocce monito nec eguiſſe Timotheus. Talia ergo exercitia intellexiſſe apoſtolus cenſendus eſt, quae magnam valebant apud alios auctoritatem conciliare iis, qui erant iſtis dediti, quaeque inde forte facile probare ſeſe hoc reſpectu Timotheo potuiſſent; illa ſcilicet, de quibus et Coloſſ. II. 23. loquitur, certis quibusdam hominibus recepta, qui, ſingularem prae ſe ferentes externam ſanctitatem, cibo aliisque vitae commodis neceſſariis abſtinere ſolebant, mentemque rebus omnibus terreſtribus ſubtrahere et ſublimiora ſolum ſectari videbantur, vniri ſe hac ratione cum ſummo Numine optime poſſe opinantes ſiue fabulantes.

§. VIII.

§. VIII.

De iisdem agit in altera quoque ad Timotheum data epiſtola, cap. IV. comm. 1. 2. 3. 4. Paulus apoſtolus. Vbi commate inprimis primo ſingulari cum affectu eundem alloquitur monetque, nociuum quaſi venenum aliquod, a quo cauere ſibi eo cautius Timotheus debeat, in illis fabulis deprehendens. Vim ibidem illis tribuit, qua decipi facile poſſint, qui ſalutari doctrina verbique ſacri praeconio gaudeant, licet vera alias a falſis diſcernere valeant, nec odio prorſus proſequantur doctores euangelii. Et triplici quidem ratione ab apoſtolo deſcribitur deceptionis huius modus ſeu effectus, vt α) dicantur fabulis his capti *impatientes futuri ſanae doctrinae*, quae de Chriſto ſcilicet, vnico ſalutis fonte, in ſcriptura ſacra comprehenſa, a verbi miniſtro, ſecundum comm. 2. acriter eſt inculcanda; quam vero aequo ac diſcendi cupido animo non ſint excepturi homines eiusmodi, taedii potius futuri eius pleni fabulisque magis delectati. Addit β) de illis apoſtolus, quod *ſecundum proprias concupiſcentias ſint ſibi ipſi coaceruaturi doctores auditu prurientes*, id eſt, quod doctores, aliam et a verbo apoſtolico diuerſam doctrinam diuulgantes, ſibi absque vllo ordine (vti coaceruatim iacent

cent inter se inuicem, ordinis haud ratione habita, grana) nec ad praescripti diuini normam, sed ad sensationum propriarum motum, ortum forte ex eiusmodi docentium proponendi modo, sint comparaturi, quodque sic γ) *a veritate auersuri et ad fabulas conuersuri sint auditum*, hactenus praedicatam a viris orthodoxis veritatem spernentes, et rixarum potius sectarumque amantes. Deceptionis talis quis non videt esse portentosam plane noxiamque vim? Qua quibus mediis sint gauisurae istae fabulae, simul commemorat apostolus, dum homines illis indulgentes κνηθομενους την ακοην, id est, ζητουντες τι ακουσαι καθ ηδονην fore ait, qui nimirum sanae doctrinae pertaesi, nouitatis studio, quasi pruritu quodam, incitati, doctores sint conquisituri iucunda et placentia loquentes, aures quibus titillent. Vid. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS in *curis philologicis et criticis, vol. III. pag.* 536. *seq.* et ab ipso allegati scriptores, inprimis SVICERVS et LIEBKNECHTIVS, quibus addi poterit LAMBERTVS BOS in *exercitationibus philologicis, pag.* 233. Iucunda haec atque placentia Apostolus tanquam media commemorat, quibus capturi auditores sint fabularum primi condi, quaeque prae Apostolorum verbo conciliare quasi praerogatiuam

uam nugis iſtis ſint viſura. Aperte ergo, eiusmodi doctrinas per fabulas hic innuere Apoſtolum, patet, quae, diuino verbo et in iſto inculcatae de Chriſto doctrinae aduerſantes, neſcio quem gratum ſecum habere videntur mentis motum atque ſenſum, quarumque in oppoſito ſimplicitatis rudis accuſanda et tanquam taedii plena reiicienda eſſe videatur veritas diuina.

§. IX.

Timotheo quae Paulus locis breuiter explicatis commendauerat obſeruanda, commendat Tito pariter in epiſtolae ad ipſum datae cap. I. comm. 13. 14. easdem fabulas ſanitati in fide opponens, hocque ipſo indicans, quod fidei illae aduerſentur eamque tollant ex animo ſeu exſtinguant. *Iudaicas* autem quando eas nuncupat, non, acſi inuentores earum Iudaeos indicare voluerit, cenſendum, ſed ideo hoc nomen ab Apoſtolo tributum dictis fabulis credo, quod Iudaei inprimis ſeu conuerſi Ex-Iudaei docuerint propagauerintque illas, diſerte ante comm. 10. refractarii, vaniloqui et mentium deceptores nuncupati, qui ſcilicet vanas hominum traditiones, ad euertendam et corrumpendam veritatem quamplurimum facientes, introducere in eccle-

ſia

ſia allaborauerint. Quid ergo aliud fabulae hae, quam doctrinae coeleſti veritati ac fidei diuinae aduerſantes? a quibus, tunc temporis in primaeuo chriſtianorum coetu aſſeclas haud paucos nactis, cauere ſibi tum Timotheus habuit neceſſe, tum, ni illis caperentur, praemunire auditores ſuos.

§. X

Eaedem etiam fuerunt fabulae, quas ſe cum ceteris Apoſtolis minus ſectatum fuiſſe diuus Petrus teſtatur 2. Epiſt. I. 16. Nec enim, niſi tales intelligi ab eo poſſunt, quae, licet in ſe vanae, imo vaniſſimae, comparatae tamen ita fuerint, vt ſtatim, ac proferebantur, a prudentioribus tanquam abſurdiſſimae * reiicerentur, ſed quae

* Ita vero comparatae erant Iudaeorum aeque ac gentilium nugae, quae tam in illorum Talmude occurrunt bene multae, quam ex horum de Diis Deabusque figmentis conſtant. Ad Iudaeos putidasque obuias eorum in Talmude fabulas quod attinet, conferri meretur beati IOANNIS CHRISTOPHORI WOLFII *bibliotheca hebraea*, *vol. II. pag. 973.* et *vol. IV. pag. 455.* vbi variae leguntur virorum doctiſſimorum iuſtae in illas inuectiuae. Craſſas vero ethniciſmi fabulas ſatis deridendas propinarunt, tum, qui ex inſtituto contra eos diſputarunt et calamum ſtrinxerunt, veteris eccleſiae doctores, tum qui de origine

quae ſapientiae aliquam, imo ſingularem, prae ſe ſpeciem tulerint. Vocat nimirum σεσοφισμενους iſtos μυθους, id eſt, *argute excogitatas ac ſingularem quaſi ſapientiam ſpirantes fabulas*, quibus retecta eſſe videbantur myſteria abſcondita et veritates abſtruſiſſimae. * Patebit autem clarius, per illas

gine, progreſſu et natura idololatriae eorum fuere commentati, a IOANNE FRANCISCO BVDDEO in *iſagoge hiſtorico-theologica, lib. II. cap. VI. §. II p. m. 879.* allegati. Addantur et, quae hoc de argumento ipſe BVDDEVS in *inſtitutionibus hiſtoriae eccleſiaſticae veteris teſtamenti, period. I. ſect. II. ad §. XII.* diſſeruit. Vtriusque inde fabularum generis prudentiores inter illos puduiſſe, nemo neſcit. Neque dignum iudicandum eſt vel idoneum fabulis his praeſidium, quando, ſenſum aliquem abſconditum vel myſteria reſerata ſubiſſe illis, earum auctores ſeu patroni garriebant. Vid. FRANCISCVS BACO DE VERVLAMIO in libro *de ſapientia veterum*, qui in *operibus* eius *pag. 1248.* legitur, et IOANN. FRANC. BVDDEVS iam citatus in diſſertatione *de philoſopho fabularum amatore*, Ienae anno ſuperioris ſeculi XCII. habita, et in ipſius *analectis hiſtoriae philoſophiae, pag. 43. ſeqq.* recuſa. Conferatur et eiusdem *praefatio* analectis his praemiſſa, *pag. 14. ſequ.*

* Non quadrat autem hoc in figmenta vel Iudaeorum talmudica et cabbaliſtica, vel ethnicorum his non meliora, licet fuerint, qui conuenire illis additum iſtud Petri apoſtoli encomium putarunt. Vid.

illas quid indigitauerit Apoſtolus, circumſtantias loci huius ſi accuratius paulo expendere velimus. Opponit fabulas iſtas diuus Petrus α) in genere indicatae per Apoſtolorum verbum viae ad ingrediendum aeternum Seruatoris noſtri regnum, fidei ſcilicet in huncce mundi Saluatorem, quae in virtutum exercitio ſegnem hominem non eſſe patitur, comm. 3 - - 11. ad quam etiam ore pariter ac calamo hortabatur ac hortaturus ſuos porro erat Apoſtolus. comm. 12 - - 15. Huic fidei quae opponuntur, (opponuntur vero illi comm. 16. diſertis verbis argutae iſtae fabulae) venditari neceſſario debuerunt tunc temporis ab haereſiarchis et nugarum talium patronis, quibus ſe et collegas ſuos Petrus Apoſtolus opponit, pro via mediisque ingrediendi regnum Dei et ad vnionem cum ſummo Numine perueniendi. Sed et opponuntur fabulae illae ab Apoſtolo β) potentiae et praeſentiae domini noſtri Ieſu Chriſti, quam notam auditoribus

Vid. beati WOLFII *curae philologicae et criticae*, *vol. IV. pag. 190.* Poſterius nuper etiam voluit celeberrimus IOANNES PETRVS KOHLIVS in *den Hamburgiſchen Berichten von gelehrten Sachen*, (quarum ipſe auctor eſt) *anni huius* MDCCXLIV. *pag. 289. ſeq.*

bus ſuis fecerant Apoſtoli. comm. 16. Huic quid opponitur vel aduerſari dicitur, comparatum ita fuiſſe oportuit, vt potentiam ac praeſentiam Ieſu Chriſti eiusmodi ſibi tribuerit, aſſeclisque ſuis fortiores motus rerumque diuinarum ſenſationes ſiue viſiones promiſerit. Opponit Petrs γ) fabulas, de quibus loquitur, eodem noſtro 16. commate in ſpecie viſioni iſti, quam in monte cum Ioanne et Iacobo ipſi contigiſſe ex Matth. XVII. 1. ſeqq. nouimus. Hac ſane oppoſitione opus non fuiſſet, fabularum illarum vanitatem ſaltem ſi oſtendere animus ipſi fuiſſet. Recte proinde ex eo concludimus, quod ſimiles etiam viſiones rerum diuinarum iactauerint fabulae iſtae, quas ſe minus ſectatum fuiſſe Apoſtolus teſtatur. At inprimis deprehendimus δ) opponi ab eodem illas verbo prophetico, ab Apoſtolis inculcato atque praedicato, quod lucis ſeu diurnae ſtellae inſtar manu nos ad ſalutarem Chriſti cognitionem ducat, ſeu in animo illam producat. comm. 19. Ex hoc quid, quaeſo, luculentius apparet, quam quod lumen aliquod internum ducis atque lucis inſtar iactauerint et commendauerint fabularum talium primi condi, cui prae verbo prophetico et apoſtolico ſingularem excellentioremque praerogatiuam vindicare nulli dubitauerint?

§. XI.

§. XI.

Sufficere haec puto ad intelligendum, quales fuerint *fabulae*, a Paulo atque Petro locis breuiter explicatis improbatae ac caueri iuſſae. Vnius namque generis vbiuis indicantur doctrinae, mediorum et viae ad Deum ac cum ipſo vnionem perueniendi inſtar excogitatae et tunc temporis propalatae, ſcripturae vero ſacrae et verbo ab Apoſtolis praedicato e diametro aduerſantes, et ex ſolo rationis lumine petitae, quarum ad praeſcriptum corpus exercere et ab illius ſordibus ſqualoreque animum purgare, hacque ratione ſpiritualis mundi cognitionem ſibi comparare, motusque ac ſenſationes ſingulares exſpectare et in diuina prorſus penetrare, ſumma fruiturus quiete ac laetitia, homo iubebatur. Iam quoquouerſus oculorum aciem conuertimus, omniaque philoſophiae gentilis aeque ac Iudaicae genera conſideramus et cum hactenus illuſtrata fabularum, a Paulo atque Petro commemoratarum, deſcriptione illa conferimus, nullam ſane deprehendimus conuenientem huic magis philoſophiam, quam notam illam Pythagorico - Platonicam theologiam myſticam et ſublimiorem philoſophiam, quippe quae tam inter Iudaeos quam gentiles

ſummum ferme tunc temporis aſſecuta culmen erat, et a Gnoſticis aliisque primitiuam eccleſiam turbantibus haereticis introducebatur. Vid. quae hac de re diſſeruit venerandus WALCHIVS in *hiſtoria eccleſiaſtica noui teſtamenti, ſecul. I. cap. IV. §. XVIII. pag. 521. ſeqq.* Conſpirant ſane amiciſſime cum hac philoſophia omnia, quae de fabulis iſtis Paulus atque Petrus monuerunt. Primarius nimirum ſcopus ſiue finis erat, viam vt monſtraret, qua ad arctiſſimam et ineffabilem cum Deo vnionem peruenire homo queat. Hunc vt is obtineret, iubebatur corporis inprimis vacare exercitio, ab iſtius contagione animum purgare et quadam humanorum fuga ſolis ſe inſerere diuinis, mundum vero, et quae in illo ſunt, diuinorum contemplatione deſpicere, omnemque animae cogitationem in ſola dirigere diuina. Corpus dicebant eſſe materiale quid, craſſum atque faeculentum, quo prematur anima, et ad inferiora, mortalia ac vitiis malisque plena trahatur, foedetur idcirco atque inquinetur, haud ſecus, ac in ſquallido et lutulento carcere. Huius ergo a vinculis et coecitate ſenſuum materialium liberari atque ſolui mens eorum ex ſententia debebat, cum Deo vnienda. Quibus corporis materiaeue vinculis ac ſordibus liberatus animus in ſe ipſum verti iube-

iubebatur, ceteris, quae extra ſunt, obliuioni velut traditis et, vt ad ſe nil pertinentibus, memoria eiectis. Hac autem ratione, collectis quaſi ex ſe viribus, deſerere inferiora atque ſurſum ferri et coeleſtia diuinaque petere, imo ad ipſum principium ſuum, Deum ſcilicet, ex quo emanauerit, reuerti poſſe dicebatur animus, ſumma fruens nec turbanda vmquam quiete. *Surſum ingentia ſpatia ſunt*, (verba ſunt SENECAE, *lib. I. quaeſt. natural.*) *in quorum poſſeſſionem animus admittitur, at ille, ſi minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, et expeditus leuisque ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis ſuae, quod illum diuina delectant, nec vt alienis intereſt, ſed ſuis. Illic demum diſcit, quod diu quaeſiuit. Illic incipit Deum noſſe.* Ita et HIEROCLES *comm. in aur. Pythag. c. LXIX. Hic finis eſt Pythagoricae diſciplinae, vt toti penitus alati fiamus ad bonorum diuinorum perceptionem, et cum mortis tempus inſtat, relicto in terra mortali corpore eiusque natura exuta, ad coeleſte iter expeditiores fiant philoſophicorum certaminum athletae, tum enim in primum ſtatum ipſos reſtitutum iri et Deus fieri, quantum licet hominibus.*

Hiſce eiusmodi cum effatis conueniunt ſequentia EVSTRATII *ad Nicomachicorum X. c. VII. Quia hoc compoſitum non eſt verus homo, ſed id, quod in nobis eſt diuiniſſimum, mens videlicet, oportet conari ſeſe reddere immortalem, hoc eſt, a mortalis animae contagione ſeparare et immortalem facere, et ſimilem reddere immortalibus, hoc eſt, intelligibilibus et intellectualibus accedere. Similis autem Deo redditur, cum et his corporeis abſcedit, et in intelligibilibus verſatur. Quare omnia oportet facere, quae ſpectant ad vitam ſecundum mentem degendam, quae eſt ſummum et optimum et diuiniſſimum omnium, quae in nobis ſunt. Viuit autem ſecundum eam, ſicut dictum eſt, qui diuino fulgore illuſtratus contemnit omnia externa, ſeque ipſum ſeparat et liberum facit ab iniqua foedaque procliuitate omni in corpus.* Eiusdem tenoris ſunt, quae habet IAMBLICHVS in *protreptico: A quo* (de purgatione loquitur) *prima plane malorum, quae nobiscum nata ſunt, ab exortu noſtro, quies et immunitas erit. Deinde nobis aderit notitia felicis et beatae vitae, quanta illa qualisque ſit futura. Cum hac aſcendentes princeps et diuinum genius hominum contemplabimur, et in hoc firmati propoſitae a Diis beatiſſimae vitae finem conſequemur.* Varia his ſimilia leguntur etiam

iam in PORPHYRII *lib. I. de non eſu carn. cap. XXX. ſeq.* Videantur pluribus DIOGENES LAERTIVS in *hiſtoria philoſoph. lib. III. §. LXXVIII.* CLEMENS Alexandrinus *lib. II. ſtromatum, pag.* 135. IOANNES SCHEFFERVS *de natura et conſtitutione philoſophiae Italicae, cap. VII. pag.* 41. *ſeqq. et cap. IX. pag.* 67. *ſeqq.* IO. FRANC. BVDDEVS in *analectis hiſtoriae philoſophicae, pag.* 367. *et* MICHAEL GOTTLIEB HANSCHIVS in diatribe *de enthuſiaſmo Platonico, ſect. VI. §. II. pag.* 78. De ſomniis vero his nugisque phaleratis quid iudicabis, lector? Nonne optime in illas quadrat Pauli diui iudicium, habere eas praetextum ſapientiae in voluntario cultu et humilitate, cum corpori non parcant, nec honorem dent aliquem ad ſufficientiam carnis? Recte vtique ſic ſentit Col. II. 23. ideoque comm. 18. monitum neceſſarium praemittit: *Nemo vos depraemiet placens ſibi in humilitate et in cultu angelorum, in ea, quae non vidit, irruens, fruſtra inflatus mente carnis ſuae.*

§. XII.

Et habemus ſane, cur nec noſtris in diebus grauiſſima haec Apoſtolorum monita negligamus vel ad hodierna tempora minus pertinere autumemus. Licet enim

optandum fuiſſet, vt peruerſa adeo noxiaque immiſcendi profanas gentilium philoſophorum nugas ſanctioribus doctrinis conſuetudo non plures nacta fuiſſet poſt Apoſtolorum aeuum patronos, horumque allata in contrarium argumenta retrahere ab impio ac imprudenti iſtiusmodi conatu mentes valuiſſent, vlterius tamen ſaeuire malum hoc haud deſiit. Nec tantum, prouti ſupra §. II. enarraui, ipſa in primitiua eccleſia mox infelici auſu Platonico-Pythagorea placita et petitae inde formulae loquendi coniungi cum theologia chriſtiana coeperunt, ita, vt, quae ſolis ex ſcripturis ſacris explicari debebant, aliunde arceſſentes coetus chriſtiani doctores varii, Graecorum dicta et plagia ſacra corrupta, male etiam correcta, doctrinae chriſtianae accommodarent, variaque ſubinde partim erronea, partim a ſimplicitate diuinorum oraculorum nimis diſcedentia, introducerentur in eccleſiam; ſed et recentioribus temporibus a fanaticis hominibus, quorum ferme quotidie et numerus et ſpiritualis faſtus creuit, talia ſunt ventilata, defenſa atque propalata, vt mirari ferme ſanum quemque oporteat, quanto cum delirio contemplationibus eiusmodi plus iuſto ac deficiente ſcripturarum ductu indulgentes illi ipſum ad enthuſiaſmum fue-

fuerint progreſſi. Conferantur, quae de DIONYSIO AREOPAGITA, ſiue pſeudonymo potius auctore, quarto qui poſt natum Seruatorem ſeculo ſub hoc nomine imponere orbi chriſtiano voluit, aliisque ſequiorum temporum ſcriptoribus pſeudomyſticis, e. g. IOANNE RVSBROCHIO, IAC. BOEHMIO, VALENTINO WEIGELIO, HORVRGO, MOLINOS, MALAVELLO, FRANC. SALESIO, HARPHIO, aliisque pluribus ſolide ſatis commentati ſunt IO. IOACH. ZENTGRAVIVS in diſſertatione *de theologia myſtica*, §. *XI. ſeqq.* IO. FRANC. BVDDEVS in *iſagoge hiſtorico-theologica*, *lib. II. cap. IV.* §. *VIII. ſeq.* et GOTTLIEB WERNSDORFIVS in diſſertatione, qua *candidam ſolidamque de myſtica theologia ſententiam* expoſuit, *cap. I.* §. *XVI. ſeqq.* iuſtiſſime dolentes, quod cum PORPHYRIO, PLATONE et PYTHAGORA, quam ſanctis Dei viris, loqui homunciones hi maluerint. Quod licet tam in genere, quam de primis eccleſiae doctoribus in ſpecie, negare auſus fuerit doctus alias ille ſocietatis Ieſu theologus BALTVS in libro, *defenſe de ſaintes peres, accuſez de Platonisme*, inſcripto, et Lutetiae Pariſiorum anno huius ſeculi vndecimo euulgato; eo ipſo tamen, quem refutare voluit, auctori libri: *le Platoniſme*

de voile non ita contradixit, vt non praeualerent huius aſſerta illius argumentis. Vid. THEOPH. RAYNAVDVS in *theologia naturali, prolog. §. V. num. LXXIV. ſeqq. pag.* 31. Fatetur ipſe GODOFREDVS ARNOLDVS in *der Kirchen-und Ketzer-Hiſtorie, tom. I. lib. I. cap. II. num. IX. p.* 37. *daß bald nach der Apoſtel Zeiten die meiſten Lehrer von der rechten Weisheit Gottes abgegangen, vnd die Vernunft vnd Philoſophie mit unter die Theologie gemenget haben.* Quod inprimis de philoſophia Platonico-Pythagorea aſſeri debere, ad confuſionem vsque diſſentienrium oſtenderunt BVCHERVS et COLBERGIVS, *locis* ſupra §. II. *allegatis.* Conf. et 10. CLERICVS in *arte critica, tom. I. pag.* 356.

§. XIII.

Quemadmodum vero, commemoratos pſeudo-myſticos ſcriptores atro dum lapillo notamus, totam neutiquam improbamus theologiam myſticam, per quam potius, ſi pura ſit nullisque erroribus coinquinata, nihil aliud, quam ipſam theologiam moralem, ſtricte ſic dictam, intelligi conſtat, cuiusque ſcopus hic eſt, vt homo regenitus in illuminatione, qua intelle-

tellectum, et ſanctitate, qua voluntatem, magis magisque proficiat, et arctius cum Deo vniatur: ita ab his quam longiſſime diſcedunt meritoque inde reiiciuntur, quae, cum philoſophiae illius Platonico-Pythagoreae fabulis prorſus conſona, ſacro vero codici e diametro aduerſa, leguntur in Pſeudomyſticorum iſtorum recentiorum ſcriptis, quorum quidem, vt ipſis eorum verbis ſententiam illorum exprimam, ſumma ferme haec eſt: *der Menſch müſſe mit Gott vereiniget werden, ſo, daß er über alle Sinne vnd Würkungen des Gemüths ſeinen Gott in einem tieffen Dunkel, Vnwiſſenheit vnd Stille erkenne, admiriré, ſchaue vnd in Gott verſchlungen vnd verwandelt werde, vnd in ſolcher weſentlichen Vereinigung mit Gott ſeiner in einer vnausſprechlichen vergnügenden Ruhe genieſſe.* Haec quis non ipſas iſtas argutas fabulas, quas a Paulo atque Petro tanquam abominabiles fuiſſe improbatas ante docuimus, quaeque nomine hoc diſerte Paulo 2. Timoth. IV. 4. (vbi non de gentilibus, ſed chriſtianis loquitur) veniunt, eſſe deprehendit? Vnde ſane, ſi in quibusdam forte, vti voluerunt BVDDEVS in *iſagoge* ſua ſaepius iam allegata, *lib. I. cap. IV. ad §. XXII. pag.* 225. et *lib. II. cap. III. ad §. V. pag.* 557. editionis prioris, quam ego poſſideo, et in *appendice*, *pag.*

pag. 38. *ſeqq.* atque MICHAEL LILIENTHALIVS in *der fortgeſetzten theologiſchen Bibliotheck*, *pag.* 253. *ſeq.* nec non beatus deceſſor meus IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS in *catalogo bibliothecae* ſuae *theologicae ſyſtematico - critico*, *p.* 60. modum exceſſiſſe cum BVCHERO viſus ſuit EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, circa pleraque tamen momenta iniuriam non fecit his hominibus, pſeudo - theologiae myſticae originem philoſophiae Platonico - Pythagoreae nugis ſiue fabulis tribuens, et vtriusque arctiſſimam cognationem demonſtrans. Idem certe faſtus et reiiciendi ordinaria gratiae media inſana arrogantia, eaedem voces abſonae et blasphemae ferme in illius obuiae ſunt ac deprehenduntur impuriſſimis lacunis, ac in huius ſecretis. Conferatur praeter ceteros IOANNES ANGELVS in *dem cherubiniſchen Wandersmann*, a GODOFREDO ARNOLDO in praefatione adeo commendatus, vbi inter alia haec in verba erumpit: *Gott mag nichts ohne mich; Gott lebt nicht ohne mich; ich habs von Gott, vnd Gott von mir.* Legantur, quae ad paralleliſmum hunc, non ſupra modum auctum, demonſtrandum attulit ZENTGRAVIVS *loc. cit.* §. *XII. ſeqq.* monu-

monuit etiam WERNSDORFIVS in diſſertatione, qua *veram ſolidamque de guſtu ſpirituali ſententiam* propoſuit, Wittebergae anno MDCCXXVII. habita; eo magis vnumquemque condocentia, quam neceſſe ſit, monitorum Paulinorum aeque ac Petrini haud dememineriſſe, et contra huius ſurſuris haereticos auditorum noſtrorum praemunire animos.

INDEX

INDEX I.

LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE EXPLICATORVM ET ILLVSTRATORVM.

GENES.

Caput II.	verſ. 17.	pag. 193
III.	1. 2.	319
IV.	1.	1
VI.	2.	82
VI.	15.	58
VII.	11.	314
VII.	16.	59
VIII.	7. 9. 11.	137
XIX.	26.	108
XXXVI.	24.	78
XLI.	42.	115
XLV.	22.	63

EXOD.

I.	7.	261
II.	10.	224
IV.	25.	258
IX.	15. 16.	93
XIV.	21. 22.	150
XXI.	21. 22. 23.	172
XXX.	12. 13. 14. 15.	245
XXXVIII.	8.	217

INDEX I.

NVMER.

Caput XXXVI. vers. 8. pag. 303

DEVTERON.

XXI. 12. 243
XXIV. 1. 183
XXVIII. 66. 60

IOSV.

XIV. 15 139

RVTH.

IV. 5.8. 191

1. SAMVEL.

XVII. 7. 317
XXV. 18. 317

2. SAMVEL.

XIV. 26. 55
XVII. 28. 317

1. REGVM.

IV. 6. 329
VI. 7. 170
XIV. 24. 9

1. PARALIP.

XXIX. 29. 251

2. PARALIP.

Caput	XXXV.	verſ. 21. 22.	pag. 216
	XXXVI.	8.	153

ESTHER.

VIII.	15.	115

PSALM.

XXIV.	4.	200
XXXII.	9.	91

IESA.

I.	1.	280
VI.	3.	206
IX.	6. 7.	294
XIII.	21.	173

IEREM.

V.	5.	220
XVII.	9.	30
XX.	1.	276

EZECH.

XXXVIII. XXXIX.	151

HOSE.

VI.	2.	287

IOEL.

II.	23.	299

IVDITH.

XVI.	31.	48

SIRACID.

Caput	VII.	verſ. 36. 37.	pag. 69
	XXXIX.	31.	267

MATTH.

I.	19.	124
I.	20.	204
I.	25.	175
II.	2.	162
II.	13.	95
III.	4.	269
V.	37.	201
V.	39.	73
X.	10.	187
X.	14.	291
XI.	12.	226
XII.	43. 44. 45.	233
XIII.	52.	305
XIII.	55.	309
XIV.	6.	209
XIV.	13.	179
XVI.	17.	211
XVIII.	1. ſeqq.	129
XVIII.	6.	96. 249
XXI.	9.	221
XXIV.	14.	14

MARC.

I.	6.	269
I.	24.	324

Caput	V.	vers. 38.	pag. 156
	VI.	9.	189
	VI.	11.	291
	VI.	33.	179
	IX.	36.	135
		LVC.	
	II.	1.	25
	II.	7.	175
	IV.	29.	122
	X.	11.	291
	XX.	46.	63
		IOANN.	
	I.	14.	215. 316
	I.	16.	321
	II.	14. 15.	241
	III.	8.	195
	III.	13.	36
	XIV.	16.	164
	XVII.	9.	297
		ACTOR.	
	III.	26.	142
	V.	3.	145
	XI.	28.	181
	XII.	8.	207
	XIII.	13.	32
	XX.	13.	197
	XXIII.	8.	247
		ROMAN.	
	VIII.	26.	185

1. CORINTH.

Caput III. Vers. 2. 263

COLOSS.

IV. 14. 331. 350

2. THESSAL.

II. 4. 149

1. TIMOTH.

I. 4. 406

IV. 2. 38

IV. 7. 419

2. TIMOTH.

II. 22. 104

IV. 1. 2. 3. 4. 412

TIT.

I. 13. 14. 414

1. PETR.

II. 2. 278

2. PETR.

I. 14. 284

I. 16. 415

HEBR.

V. 7. 321

V. 12. 13. 263

XII. 1. 118

APOCAL.

IX. 2. 85

INDEX II.

RERVM PRAECIPVARVM.

Abſalomi comae quanti ponderis fuerint? pag. 55

Abyſſi propria et metaphorica ſignificatio. 85. 314

Adiectiuum pro ſubſtantiuo in genitiuo adhibendo ſaepe ponunt ſcriptores graeci. 278

Adonirami epitaphium Valentiae repertum. 329

Aetas puerorum variis vocibus Graecis diſtincta. 95

עקב quid ſignificet? 30

Αλαλα, αλαλαζειν. 156

ALTINGII circa mortem, quam Protoplaſtis Deus minatur, ſententia. 193

Americanis euangelium praedicatum. 19

Angelos lapſos cum mulieribus rem habuiſſe, erronea veterum ſententia. 82

Anonymi vana του πνευματος αγιου Matth. I. 20. explicatio. 204

Του αντι diuerſus ſignificatus. 321

Antichriſtus in ſcriptura ſacra per Gogum intelligitur. 151. potentiae eius abolitio praedicatur. 152

Articuli ο, η, το, vel omiſſi, vel nomini praepoſiti, nimis curioſa conſideratio. 196. 247

עשתה ſignificatus et de eodem diſſenſus 243

אסון quid Ex. XXI. 22. ſ. ſignificet? 172

ATHANASII criteria infirma, quando το πνευμα ſpiritum ſanctum deſignet. 197

Βιαζεσθαι και βιασται Matth. XI. 12. varias experiuntur interpretationes. 226

Boas atque Ruth nuptiae ex iure redemtionis ortae. 191

Ad BREITHAVPTVM epiſtola HVETII, ex Mſ. 51

CAELII de natura maris rubri ſententia. 150ſ.

Cauterium plerisque nota flagitii. 39. barbaris quibusdam gentibus ſignum nobilitatis. 41. diſcriminis ergo militibus inurebatur. 42. generalius, et medicis inprimis denotat omne id, quod vrit. 44. in quo ſenſu Paulus etiam 1 Tim. IV. 2. καυτηριαζειν adhibuiſſe videtur. 45

Composita graeca ex praeterito medio duplici gaudent significatu. 175

Deserta sedes daemonum credita. 173 f.
DIDYMI regula, quando *το πνευμα* de persona spiritus sancti et quando de donis ipsius intelligendum. 196
Differentia inter נבא, ראה et חזה eiusque determinatio. 251
Diuortium apud Romanos pariter ac Iudaeos visitatum. 183
Dulciarii veterum vnde adpellati. 264

Ecclesiae primitiuae ritus lac ac mel recens baptizatis porrigendi. 266. eiusdem doctores medicinae aliisque artibus operam simul dederunt. 386
Εγαγκαλιζεσθαι quid significet? 135
Επιθυμιαι νεωτερικαι. 105
Επικληρος et lex *επικληρων* qualis fuerit? 303
ERICI etymologia nominumque deriuatio inepta. I. ff. 224
του Ευπερισατος Ebr. XII. 1. diuersa explicatio. 118. notio genuina. 120

Foecunditas mulierum in Aegypto. 261. f.

GERHARDI sententia de morte, quam Deus Protoplastis comminatus est. 193
GROTII de situ vrbis Hierosolymae sententia. 181. locorum Matth. X. 10. Marc. VI. 9. Actor. XII. 8. conciliatio. 190

VON DER HARDT explicatio difficiliorum quatuor Euangelistarum locorum Mſ. 103. 187. 227. 234. 271. 291. 310. 323. 324
HELVIDII sententiae, quod post Christum alios adhuc pepererit Maria liberos, fundamentum. 177
Heluidiani et *Antidico-Marianitae* a se non differunt. 178
de *Hierosolymae* vrbis in meditullio terrae situ sententia Patrum, eiusque ratio. 182
τοῦ *Hosanna* sensus. 221
HVETII de Iudithae libro epistola ad BREITHAVPTVM, ex Mſ. 51

לימים 78

Iesaianum trisagium. 206
Iesaiae prophetiae inscriptio generalis. 280

ab ipso diuo vate, non a Leuitis praefixa. 283

IGNATIVS, cur θεοφορος dicatur. 129. 131 numne sit puerulus, a seruatore Matth. XVIII. 2. exempli loco commendatus? 129. num Christum viderit? 131

Infernus, cur abyssus denominetur. 87. non est locus physicus. 88. dimetiendi illum vanum CORN. A LAPIDE studium. ibid. est locus certus et realis. 89. a Deo creatus. 90. diuersus a τω που beatorum. 91

Ioiakimi corpori num stigma impressum fuerit. 153

R. IONATHANIS expositio vaticinii Iesaiani c. IX. 6. 7. 295

Iosephi vitae genus ex sententia HERM. VON DER HARDT. 310 ff.

Iudaei in mittendo dimidio sicio praescripto obseruantissimi 245. sadducaeorum caussam agentes. 248. quae fabulantur de R. IONATHANE. 296. litterarum studio coniungunt opificia. 313

Iudithae liber commentitius plerisque censetur. 48

קלי quid denotet. 317

Κερμα, κερματιζειν, κερματισται. 241

Lactarii veterum vnde adpellati. 264
Lacte cur infantes nutriantur. 263
Lactis melle mixti vſus. 268

Lothi vxoris mutatio metaphorice a BODINO explicatur. 108. modus huius mutationis ex ſententia AVGVSTINI. 109. cauſſae eiusdem variae a variis adducuntur. 109. narrationes, huic hiſtoriae adiectae, fabuloſae. 111

Lucae Euangeliſtae vitae ſcriptores. 335. quaeſtionis: num medicus fuerit? adfirmatio. 339. ob teſtimonium Patrum 341. defectus trium priorum poſt C. N. ſeculorum ſcriptorum huic aſſertioni minus nocet. 344. aſſentiuntur illi ex recentioribus plures Lutherani. 346. Reformati. 347. Pontificii. 348. probatur ex teſtimonio Paulino Col. IV. 14. 349. alium hic Lucam fingere vetat conſenſus antiquiorum ſcriptorum. 351. nec adeſt ratio, a faciliori recedendi interpretatione. 352. diſſentientes producuntur. 356. eorumque argumenta

remouentur. 357. titulus του αγαπητου, a Paulo additus, num ſit epitheton του ιατρου, an ad Lucam referendus? 364. corroboratur ſententia de Luca medico ex ſtylo ipſius. 365. quam prae ceteris, licet non ſine partium ſtudio, IO. FREINDIVS demonſtratam dedit. 367. reiecerunt tamen illam SAM. BASNAGE. 373. IO. HENR. BOECLERVS et GEORGIVS CALIXTVS, 374. nec non BALTH. CORDERIVS, qui myſtice ſaltem eum medicum dici cenſet 376. ab arte Lucae medica humilis eius ſortis erroneum argumentum petierunt HVG. GROTIVS et GVIL. CAVE. 378. num Euangeliſtae munere fungens illam exercuerit, nec ne? 383. traditio de αλατιω eius. 390. de vnguento medicinali in tumulo eius reperto, 394. nec non de adfinitate et commercio cum GALENO. 395. gloria a Luca medico ad artis huius cultores redundans. 396

LVDOLFI ad MAIVM epiſtola, ex Mſ. 32

Lycurgi de veſtitu praeceptum 63 ſ. huiusque ſcopus. 65

MAII epiſtola ad LVDOLFVM. 31

Ex *Mſſ.* inſerta varia, VON DER HARDT

HARDT, 103. 187. 227. 234. 271. 291. 310. 323. 324. HVETII, 51. LVDOLFI et MAII. 31. 32. STEVBERI 253

Mel comeſtum a Ioanne quale 269. num ſuccus palmarum, 271. et guſtu ingratum fuerit? 273. inuenitur amarum in Sardinia et inſula Corſica. 275

Melliti globuli quid ſint. 264

מורה לצרקה quid ſignificet. 299

Moſis nominis deriuatio. 3. 224. impoſitio a filia Pharaonis facta. 224

בֶּן שה נפש quid ſignificet. 200

Necho, Aegypti rex, ex ore Dei bellum gerens. 216

de *Niobe* fabula ex hiſtoria vxoris Lothi confecta. 114

Noachicae arcae cubitus numne fuere geometrici? 58. quare Deus illam clauſerit. 59

A *Noacho* emiſſus coruus cur non redierit? 137. ramus oliuae, a columba ipſi oblatus fuit ſymbolum pacis. 138. vbi columba illum inuenerit? 139

Noua ac *vetera* e theſauro legisperiti proferenda quae ſint. 305. cur nouo hic poſtponatur vetus. 307

Οἰκουμενη in ſcriptura ſacra tam latiori ſenſu, quam ſynecdochico adcipitur. 14. 25

Ολολυζειν quid ſignificet. 158

Παιδιον Matth. XIIX. 2. praeciſe infantem indicat. 132

Παις non ſeruum ſolum, ſed quemlibet filium notat. 142

του Παρακλητου ſignificatus. 164

Παραδειγμα et παραδειγματιζειν. 124

Paſchur qualem inter ſacerdotes principatum geſſerit. 276

Petrus ſandalia geſtans Act. XII. 8. num neglexerit mandatum Chriſti Matth. X. 10. 189. tempus mortis ſuae ipſi diuinitus reuelatum. 284

Πεζη, πεζευειν. 179

Philoſophiae in Theologia abuſus, 401. praeſertim Platonico-Pythagoreae, 402. improbatae proinde a Paulo et Petro, 403.

403. placita eius, quibus philoſophi gentiles ſe iactabant, fabulas adpellantibus. 405, contra illos eo magis Epheſios, quoniam vrbs eorum patria Pythagorae credebatur praemuniri cupit Paulus 1 Tim. I. 4. 406. per genealogias l. c. ſine dubio ad haereſin Valentinianam ſpectans. 407. exercitia corporis, quibuscum coniungit iſtas fabulas Apoſtolus, Timotheo c. IV. 7 ſ. quaenam interdicat? 410. modum et effectum deceptionis per philoſophiam Platonico-Pythagoream 2 Timoth. IV. 1. 2. 3. 4. indicit. 412. Titum quoque C. I. 13. 14. ab illa cauere ſibi, iubet. 414. eius nugas ſe minime ſectatum eſſe Petrus etiam 1 ep. I. 16. teſtatur. 415. philoſophiae huius conditio cum fabulis a Paulo et Petro deſcriptis quam optime conuenit. 419. monita Apoſtolorum ad noſtra quoque tempora referenda. 423. hominibus fanaticis quae minime carent. 427

Πονηρος in caſibus obliquis ab aliis de diabolo, ab aliis de malo in genere intelligitur. 201

ψευδομαι casu adcusatiuo constructum quid significet. 145

Praecipitationis a rupe supplicium. 122

Priapi impurissimus cultus Isidi originem debet. 10. apud Romanos et Graecos erat frequentissimus. 13

του Πρωτοτοκος significatus duplex. 175

Pulueris absterſio quid denotet. 291

Ραπιζειν quid significet 73 ſſ.

REIMMANNI de mortis tempore Petro a seruatore reuelato sententia 285

Romani totius orbis dominium iactantes 25

Salomes, saltantis coram Herode, mors. 209

Salomon in aedificatione templi vermi vsus fuisse creditur. 170

Sandalia num fuerint mulierum tantum calceamenta. 208

της Σαρκος significatus proprius et synecdochicus. 211

Scandalum reale et morale. 134

Σεβασμα non ſolum Numen ſummum, ſed et magiſtratum denotat. 149

Serpentis Euam ſeducentis nomen et ſpecies. 319

Seruator ſanctiſſimus quid indigitet, filium hominis, qui ſit in coelis Io. III. 13. ſe adpellans. 36. mortis eius genus num Moſes Deut. XXIIX. 66. praedixexerit. 60. etiam ſecundum diuinam naturam *παις του Θεου* adpellatur. 142. eius reſurrectionis dies expreſſe ab Hoſea c. VI. 2. determinatur. 287. diſſenſus quorundam circa h. l. 288. eius reſurrectio et viuificatio ex quo fundamento noſtra dicatur. 289. eius interceſſio duplex. 298

Socinianorum loci Act. V. 3. interpretatio falſa. 146

Spiritus ſancti interceſſio quomodo adcipienda. 185

Stella magis adparens num fuerit angelus? 162. qua ratione ex apparitione eius natiuitatem Chriſti collegerint magi. 162. de diſparitione eius fabula. 163

STEVBERI de differentia inter נביא, רואה et חוזה ad WINCKLERVM epiſtola, ex Mſ. 253

Submerſio in aquam. 97. num Hebraeis cognita fuerit. 100

Veſtes

Veſtes mutatoriae. 67. luxuria veterum in veſtibus. 67. albi coloris geſtarunt tantum principes ac optimates. 115. vſurpatae ſunt in ſacris, 116. et in laetis rebus. 117

Veterum erga defunctos pietas. 70

de *Viperarum* partu fabula. 99

Vitae celebriorum virorum iucunditate gaudent ac vtilitate. 334

Vulgata verſio Ioſ. XIV. 15. reprehenſa. 139

INDEX III.

ERRATORVM PRELI POTISSIMORVM.

Pag. 4. lin. 18. pro καταφθω lege καταφθινω.
6. 10. pro *olfaciente* lege *olfaciente.*
7. 4. pro *protaplaſtis* lege *protoplaſtis.*
9. 20. poſt cap. XV. dele: *veſtigia.*
12. 20. pro MDCCXXIV. lege MDCCXXXIV.
13. 11. pro *pag.* 240. lege *pag.* 248.
15. 6. a fine, pro κατ ημας l. καθ ημας.
16. 1. pro αοικετον l. αοικητον.
23. 7. pro cap. XXIV. 13. l. XXIV. 14.
— 18. pro απασιν l. απασαν.
26. 4. a fine, pro *hoc* l. *hac.*
29. 5. et 3. a fine, pro κατ ημας l. καθ ημας.
31. 17. pro *plenum* l. *planum.*
39. 20. deleatur comma poſt voc. *flagitioſis.*
49. 8. a fine, loco (:) prioris pone (;)
51. et 54. in nota pro BREITHAVPTIO l. BREITHAVPTO.
53. lin. 8. pro *vna* l. *vnum.*
56. 16. loco (;) pone (,)
— 22. pro *tonſos* l. *tonſor.*
59. 7. pro *cap. IIII.* l. *III.*
62. 18. poſt num. 65. loco (,) pone (.)
— 6. a fine, pro *manitura* l. *manſura.*
— 3. et 2. a fine, verba: *duritiem ſuam oſtentare volunt*, literis, quas *curſiuas* vocant, fuiſſent exprimenda.
67. 6. pro *coniunctarum edit* l. *coniunctim editarum.*
— 9. pro *ſi* l. *ſic.*
— 10. pro εξημοιβα l. εξημοιβα.
70. 15. pro *Heluetico* l. *Heluetica.*
71. 16 pro *ſummas* l. *ſummos.*
74. 14 pro *affirmari* l. *affirmare.*
— 17. pro *ſunt* l. *eſt.*
75. 2. pro *translatum* l. *translata.*

INDEX III.

Pag. 75. lin. 19. pro *Hoſ. XI. 5.* lege *Matth. V. 39.*
77. 21. pro *calaphum* l. *colaphum.*
78. 4. a fine, pro *fratris* l. *patris.*
81. 1. pro *Horiis* l. *Horitis.*
— 2. poſt voc. *imponi* ponatur punctum.
— 16. pro *putat* l. *putant.*
82. 3. a fine, pro *male ſana* l. *maleſanam.*
86. 5. a fine, pro αβυσσου l. αβυσσα.
— 12 pro *inexhauſti* l. *inexhauſtae.*
— 6. a fine, pro *horribilem* l. *horribile.*
— 5. a fine, poſt voc. *adeo* ſupple voc *eſt.*
90. 1. a fine, pro *determinare* l. *determinari.*
91. 6. a fine, pro ARIVS l. ARIAS.
98. 5. a fine, in nota, poſt voc *vlciſcantur* pro (.) ponendum (,)
103. 3. poſt voc. *euangeliſtarum* ſupple *locorum.*
— 16. pro *phraſiologia* l. *phraſeologia.*
105. 7. pro νεοτ ερον l. νεωτερον.
106. 13. pro *propria* l. *proprium.*
107. 16. pro *cum* l. *eum.*
— 17. pro *illos* l. *illas.*
110. 3. poſt voc. *cupido* deleatur comma.
— 5. pro *feminis* l. *femineis.*
115. 13. a fine, pro *vſurpatos* l. *vſurpatas.*
— 9. a fine, pro *honorationes* l. *honoratiores.*
117. 4. pro *vſurpantur* l. *vſurpabantur.*
— 12. pro *obſeruatioribus* l. *obſeruationibus.*
119. 6. a fine, pro *aduerſus* l. *aduerſos.*
121. 5. a fine. pro *accerrimus* l. *acerrimus.*
127. 6. poſt voc. *proinde* deleatur comma.
129. 3. a fine, pro *quam* l. *quem.*
130. 8. poſt voc. *eadem* adde: *ſententia.*
— 9. deleatur voc *ſupra.*
131. 5. a fine, pro *fouit* l. *fouent.*
133. 14. pro (;) collocandum comma.
136. 19. et 23. pro μελετικος l. μελετητικος.
138. 5. poſt voc. *ſymbolum* deleatur comma.
142. 12. a fine, pro *poterat* l. *poſſet.*
143. 5. pro *Dei* l. *Deo.*

Pag.

Pag. 145. lin. 11. a fine, pro *Quamis* l. *Quamuis*.
— 7. a fine, poſt voc. *vero* deleatur comma.
— vlt. pro *retineant* l. *retinent*.
147. 13. poſt voc. *ſolet* pro (;) pone (,)
— 9. a fine, poſt voc. *eſſe* adde *volunt*,
148. 9. pro *velle* l. *vellet*.
149. 4. pro *abdixerat* l. *addixerat*.
151. 9. a fine, poſt vocem *contulit* del. comma.
152. 4. a fine, poſt voc. *magiſtratu* del. comma.
153. 8. a fine, pro *quidem* l. *quidam*.
154. 4. pro *ſtipio colerato* l. *ſtibio colorato*.
— 12. pro WOLFFII l. WOLFII.
— 2. a fine, poſt voc. *fuiſſe* pone *comma*.
157. 8. pro αλαλαζω l. αλαλαζειν.
— 4. a fine, pro *Iac. VI.* l. *Iac. V.*
158. 3. tolle priora duo commata.
— 2. a fine, poſt voc. *victima* deleatur comma.
159. 4 pro *quamuis clamorum* l. *quemuis clamorem*.
— 5. a fine, pro numero latino *X. decem* notante, lege χ. quae graecorum litera eſt.
160. 13 poſt voc. *ipſe* ſupple *in*.
— 4. a fine, voc. *contraſentientes* non, tanquam. duo vocabula, ſed, vt vnum vocabulum, inprimi debebat.
161. 5. pro γ. l. γ.
162. 8. a fine, deleatur *XIII*.
— 3. a fine, pro IIERM. l. 10. HERM.
163. 12. a fine, pro *morbus* l. *morbos*.
165. 3. pro AESCHINVM l. AESCHĪNEM.
— 8. poſt voc. *ſuggerit* pro (:) pone punctum.
166. 5. a fine. pro *conſuletur* l. *conſoletur*.
167. 11. poſt voc. *accepiſſe* ſupple *cenſent*.
— 7. a fine, pro *Iſraelitici* l. *Iſraeliticae*.
168. 6. pro τον παρακλητον l. του παρακλητου.
169. vlt. pro פקרליטא l. פרקליטא.
170. 3. pro *iſti* l. *iſtos*.
— 12. pro 364. l. 365.
— 7 a fine, pro *malleum* et *ſecurim* l. *mallem* et *ſecuris*.

Pag. 170. lin. vlt. voc. *ſunt* initium nouae periodi facit, ideoque ſcribendum: *Sunt.*

171. 1. pro *capites* l. *lapides.*

— 4. pro *diernm* l *dierum.*

172. 5. pro *petcuſſa* l. *percuſſa*

— 9. a fine, pro *cuius* l. *enim.*

177. 9 poſt voc. *ſuum* ſupple *Deus.*

181. 11. pro *fratremque* l. *fratresque.*

183. 10. pro (;) ſubſtituendum *comma.*

184. 6. a fine, pro *vxore* l. *vxores.*

186. 12 a fine, pro WILLERVS l. WELLERVS.

187. 6 pro *ſpem* l. *ſpe.*

— 10. pro *adde* l. *addatur.*

189. 11. pro *ac* l. *ne.*

— 9. a fine, pro *prohibeatur* l. *prohibentur.*

190. 3. a fine, pro *υποδημα* l. *υποδηματα.*

191. 6. pro MELDONATO l. MALDONATO.

— 11. a fine, poſt voc. *exiſtimant* ſupple: *interpretes.*

— 7. a fine. pro *exeundi* l. *exuendi.*

— 4. a fine, poſt voc. *commendet* ponatur comma.

192. 7. pro *dicitur* l. *dicatur.*

194. 7. a fine, poſt voc. *denunciata* non (;) ſed (,) locum habet.

197. 11. pro *Leguntur* l. *Legitur.*

— 16. poſt voc. *percipitur* deleatur comma.

198. 16. pro *ita* l. *ſic.*

— 17. pro *operatur* l. *operetur.*

200. 11. pro *Dauidis* l. *Dauidem.*

— 7. a fine, poſt voc. *indicetur* collocetur comma, pro *purgati* l. *purgari*, deleatur *το abeſſe* et comma.

201. 4. pro *Dauides* l. *Dauid.*

— 3. a fine, pro *deriuatur* l. *deriuata.*

203. 2. pro *labore* l. *labare.*

— 16. poſt voc. *2 Theſſ. III. 3.* ſupple: *iudicandum eſt.*

204. 2. a fine, pro *factus* l. *foetus.*

Pag.

Pag. 204. lin. 11. pro ALTSTEDIVS l. ALSTEDIVS.
205. 15. pro *refutatur* l. *refutatus.*
207. 5. pro *aera* l. *aerem.*
— 16. pro 681. l. 687.
208. 13. pro *Additur* l. *Addantur.*
209. 7. poſt voc. *ſimul* appone comma.
— 13. pro Ηρωδειας l Ηρωδιας.
210. 6. pro *glacie* l. *glaciei.*
213. 20. pro *commemoratur* l. *commemorantur.*
— 22. poſt voc. *carnis* pro (,) collocandum punctum.
— in nota, lin. 1. pro *alios* l. *alia.*
214. 5. pro *academicae* l. *academiae.*
— 8. pro MELADIO l. MELODIO.
— 5. a fine, poſt voc. *illos* apponatur comma.
216. 7. pro *fuiſſe* l. *feciſſe.*
217. 3. a fine, deleatur *et.*
— 11. poſt voc. *volenti* ſupple *exercitum.*
219. 5. a fine, pro *hic* l. *nec.*
221. 10. pro *Actor. VII.* l. *Actor. XV.*
222. 2. a fine, pro CHAITOMAEVS l. CHEITOMAEVS.
223. 8. poſt voc. *haec* pro (:) ſubſtitue comma.
— 10. pro *iubet* l. *iubens.*
224. 12. poſt voc. *ducere* ſuperfluum eſt comma.
— 17. pro LVDWORTHVM l. CVDWORTHVM.
228. 13. a fine, pro *indicia* l. *indicio.*
229. in nota, lin. 1. a fine, pro *conſeruenda* l. *conſeruanda.*
230. 18. pro *Argumento* l. *Argumenta.*
— 6. a fine, poſt voc. *prolatam eſſe* omiſſum eſt comma.
232. 10. pro *praebendam* l. *praebendum.*
— 12. pro νυραιων l. θυραιων.
235. 8. pro *vero* l. *vere.*
236. 6. a fine, pro *medicatione* l. *praedicatione.*
237. 3. a fine, pro *mundata ac ornata,* l. *mundatae ac ornatae.*
239. 4. et 3. a fine, pro *eandem chordam* l. *eadem chorda.*

Pag. 240. lin. 6. a fine, pro *translati* lege *translatis.*
242. 2. pro *habentes* l. *habens.*
244. 5. a fine, pro *alendarum* l. *alendorum.*
246. vlt. pro *antiquario-egetica* l. *antiquario-exegetica.*
248. 14. a fine, deleatur *ro tamen.*
— 7 a fine, pro *falſaque* l. *falſoque.*
— 4. a fine, poſt voc *reſurrectione* del. comma.
250. 11. a fine, pro *ſalutantes* l. *vertentes vocem.*
256. 11. pro *amiciſſimis* l. *amiciſſimi.*
— 16. pro *credeam* l. *credam.*
— 4. a fine, pro *Saul* l. *Samuel.*
258. 8. pro *alios, qui* l. *aliosque.*
259. 11. a fine, pro *noluerit* l. *voluerit.*
— 13. pro *1 Sam. XXXIV.* l. *XXIV.*
260. 13. a fine, poſt voc. *proieciſſe* deleatur comma.
264. 2. a fine, pro *vti eſt* l. *vti videre eſt.*
265. 12. pro ALTIVS l. AETIVS.
268. in nota, lin. 4. pro *laboriſſimo* l. *laborioſiſſimo.*
271. lin 13. 14 deleatur HARENBERGIVS *loc. cit. p. 19.*
272. vlt. pro *interim* l. *haec ſcribentem.*
274. 12 pro *reprehendimus* l. *deprehendimus.* Ibidem poſt voc. *deprehendimus* tollendum etiam comma, ſuperfluum, vti alibi ſaepius.
277. 3. poſt voc. *familiis* pro (;) ſubſtitue (,)
279. 13. a fine, poſt voc. *illud* deleatur comma.
— 3. a fine, l. *corpus Agamemmion*, id eſt *Agamemnonis.*
281. 17. pro *ſunt* l. *eſt.*
282. 2. pro *adhiberi* l. *adhibere.*
285. 10. poſt voc. *commemorat* omiſſum comma eſt.
— 3. a fine, } pro *Heyland* l. *Heiland.*
286. 10. }
287. 4. 5. pro *paſſionem* et *reſurrectionem* l. *paſſio* et *reſurrectio.*
— 11. a fine, pro *dicitur* l. *dicatur.*
289. 9. a fine, pro יקסנו l. יקצנו.
290. 12. a fine, poſt voc. *circumſtantia* pro (:) adeſſe oportet comma.

Pag.

Pag. 291. lin. 2. pro *noſtram* lege *noſtrum.*
291 7. a fine, pro Actor. XIII. *5 2.* l. *5 1.*
292. 4. a fine, deleantur verba: *ab illis.*
295. 3 a fine, pro *Deo fortiſſimo* l. *Deus fortiſſimus.*
— in not. lin. 1. pro *qui* l. *quod.*
297. 2. a fine, pro *ventilatam* l. *ventilata.*
298. 5. poſt voc. *theologus* pro (:) ſubſtitue comma.
299. 14. pro *academia* l. *academiae.*
302. 2 pro καθ εξοχην l κατ εξοχην.
304. 8. a fine, pro ζεπικληροις l. επικληροις.
305. 8 poſt voc. *ſententiae* omiſſum eſt comma.
308. 9. et 1. a fine, pro *adultoribus* l. *adultioribus.*
310. 9. a fine, poſt voc. *diſſereret* deleatur comma.
311. 16. poſt voc. τεκτων pro (.) ponatur (,)
312. 4. pro *ſacra* l. *Sara.*
— 7. pro שצנה l. עשנה.
— 8. pro גצרא l. גמרא.
— 14. pro *politice* l. *politiae.*
314. 6. pro *crebamque* l *crebramque.*
— 7. pro *confractus* l. *anfractus.*
315. 8. a fine, pro *hunc* l. *hanc.*
316. 9. a fine, voc. *ſub intelligenda* non vt duo vocabula, ſed vnum, lege.
— 6. a fine, poſt voc. *patre*, deleatur comma.
319. 17. pro *meredianis* l. *meridianis.*
— 21. pro *Num. XXII.* l. *XXI.*
324. 11. a fine, poſt voc. *commemorata* omiſſum comma eſt.
— 4. a fine, pro *corruptus* l. *correptus.*

Praeter commemorata haec typorum errata, quibus tollendis tanto locorum interuallo disiunctus praeeſſe non potui, ſi ipſo in opere forte alia ſe offerant, vt pro humanitate ſua ea vna cum indicatis hisce emendare velit, rogatur Lector candidus. Idem eſt rogandus ille circa appendicem vtramque, quam luſtrare et relegere minus mihi licuit.